

**DE ECLAMPSIA  
GRAVIDARUM PARTURIENTIUM ET  
PUERPERARUM.**



**DISSERTATIO INAUGURALIS**

**MEDICO - OBSTETRICIA**

**QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE**

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

**IN**

**UNIVERSITATE LITTERARUM CAESAREA  
DORPATENSI**

**AD GRADUM**

**DOCTORIS MEDICINAE**

**RITE ADIPISCENDUM**


**LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET AUCTOR**

***Joannes Odin,***

**CURONUS.**

Handwritten text: *1858*  
*kaamatuks*

*55.904*



**DORPATI LIVONORUM,**

**TYPIS HENRICI LAAKMANNI.**

**MDCCLXIX.**


**I m p r i m a t u r**

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis fuerit excusa, quinque  
ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos constituto.

Dorpati Livon. die XXIII mens. Mart. a. 1849.

(L. S.)

**Dr. Bidder,**  
ord. med. h. t. Decanus.



447464

PRÆCEPTORI SUMME VENERANDO

FAUTORI AMICO

**PIERS USO WALTER**

PROFESSORI LITER. UNIVERSITATIS DORPATENSIS P. O.

HOC OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

*AUCTOR.*

## PRAEFATIO.

**N**ostra aetate, qua anatomia pathologica tantos processus effecit ac viam indicavit, qua ad cognoscendam morborum naturam perveniamus, jure ac merito postulatur ut morbi non sicut antea fieri solebat, simpliciter tractentur, sed ut quaevis sententia, de morbo aliquo lata, exitu sectionum quum affirmetur tum corrigatur. In quibusdam autem morbis, praesertim ubi ad naturam eorum cognoscendam sanguis et substantia nervorum accuratius inquirenda sunt, longo tempore opus erit, donec satis edocti simus; at interdum tot homines morbis illis non pervestigatis continuo absumuntur. In casibus ejusmodi ut medici observationes in cura factas in medium

proferant maxime optandum est. Id potissimum in themate hoc eligendo spectavimus: non solum quae ipsi in nosocomio nostro obstetricio, ill. prof. *Walter* praeceptore, experientia didicimus, hoc libello publici juris faciemus, sed etiam sententias nonnullorum illustrium medicorum afferemus. E morbis, quorum descriptionem fini libelli adjecimus, tres intra annum in nosocomio nostro observati sunt, extremum prof. *Walter* e praxi privata nobiscum communicavit.

---

**E**x permultis morbis, quibus feminae in graviditate, in partu ipso et in puerperio afficiuntur, saevissimus est et mortem saepissime affert is, qui nomine Eclampsiae appellatur, et quo convulsiones universales clonicae et tonicae rapidissimo decursu, ex graviditate et partu profectae atque cum sensuum defectu conjunctae significantur.

Quanti momenti sit hoc genus convulsionum, sine dubio jam antiquissimos viros medicos non effugit; non tamen distinxisse videntur inter hunc morbum, qui tantum feminae gravidae, parturienti proprius est, et alias similes formas convulsivas, atque *Mauriceau*, qui partus cum convulsionibus conjunctos ita describit, ut maximam similitudinem habeant cum Eclampsia nostrae aetatis, de quadam propriaetate earum nihil memorat. *Sauvages* primus distinxit inter Eclampsiam et epilepsiam, dicens: „Eclampsia differt ab epilepsia vulgari, quod sit acuta, quandoque remittens, aut omnino continua; — — definiri potest morbus convulsivus clonicus acutus, cum sensuum in paroxysmo feriatione.“ Haec distinctio autem non ab omnibus recepta est, nam paulo post *Cullen*<sup>1)</sup> audimus dicentem, utrumque morbum omnino parem esse. Qua sententia motus, *Hamilton* anno 1801 denuo hunc errorem oppugnavit, ac paucis verbis quod utrique morbo proprium esset et qua re inter se differrent descripsit.

---

1) *Meissners Forschungen des 19ten Jahrhunderts etc.* 1r Thl. pag. 156.

Quamquam ex illo tempore plerique auctores mouent, ne Eclampsia cum aliis morbis convulsivis confundatur, non tamen omnes diversitatem illam persuasam habere videntur, id quod partim ex ipsis verbis scriptorum elucet, si exempli gratia *Capuron* dicit: „Lorsque les convulsions sont générales, elles ressemblent plus ou moins à l'hystérie ou à l'épilepsie; peut-être même ne sont elles que des accès de ces deux maladies, déterminés par l'exaltation de la sensibilité durant le travail“ — — ; aut si *Desormeaux*<sup>2)</sup> epilepsiam, catalepsiam, tetanum et convulsiones, in graviditate etc. ex magnis inanitionibus ortas, non ab Eclampsia differre contendit; partim ex variis formis, quas nonnulli auctores, in quorum numero *Dewees*, Eclampsiae dederunt, necessario colligitur.

Ut periculum hujus erroris, quoad fieri potest, evitetur, hoc loco breviter describamus ea genera convulsionum, quibus cum Eclampsia saepissime confusa est.

1. Convulsiones hystericæ. Plerumque inveniuntur, per primos quattuor menses graviditatis (*Burns*)<sup>3)</sup>; *Canstatt*<sup>4)</sup> contendit etiam, convulsiones, quæ per illud tempus appareant, semper hystericas, nunquam vero Eclampsiam esse habendas, cum Eclampsia nunquam illo tempore inveniatur. Sed convulsiones hystericæ etiam graviditate jam longius progressa et in ipso partu apparent (*Wigand*), et interdum insolitas formas convulsivas tetani, catalepsiae assumunt (*Kiwisch*). Feminae, quæ his convulsionibus afficiuntur, pallidæ, teneræ, nervosæ sunt, sæpe etiam extra graviditatem convulsionibus laboraverunt, doloribus perferendis non adsuetae (*Wigand*), — proclives ad animi defectus, aut ex alia causa debilitatae sunt (*Burns*). Impetui non antecedunt apparitiones congestivæ, sed

2) *Busch und Moser*, Handbuch der Geburtskunde in alph. Ordng. pag. 67.

3) *Burns*, Handbuch der Geburtshülfe etc. pag. 494.

4) *Canstatt*, Handbuch d. med. Klinik. 3r Band, 1ste Abthlg. pag. 395.

quae solent hystericae, globus hystericus, frequens oscitatio, gemitus, palpitatio cordis; dolor capitis aut omnino non adest aut, si adest, non tam gravis et continuus est, caret signis congestionis ad caput. Impetus breviores esse solent, et facies non tam distortetur, ut in Eclampsia fit; magis quieta igitur, pallida aut subrubra (*Dewees*) videtur; lingua dentibus non compressa est, spuma in ore non agitur; aegrotae frequenter suspirant et gemunt; extremitates clonicis convulsionibus vehementissime afficiuntur, et saepe ingenti vi jactantur, spasmus tonicus plerumque formam opisthotoni habet, et interdum dorsum ita retorquetur, ut vertex calcem attingat. Facultas autem sentiendi et percipiendi nunquam omnino sublata est, qua re praesertim has convulsiones ab Eclampsia differre *Hamilton*<sup>5)</sup> dicit; impetus interdum asphyxia interruptumpuntur (*Burns*), atque inter lacrimandum, singultientium, ructandum finiuntur, aegrota mentis suae statim compos fit, et eorum, quae facta sunt reminiscitur, pulsus tunc parvus, debilis, respiratio non impedita est; alii morbi paroxysmos non sequuntur (*Constatt*, *Burns* et alii). Hoc genus convulsionum plerumque nullum affert periculum et *Dewees* eas sexies aut octies in decursu ejusdem graviditatis sine damno revertentes consideravit.

2. Convulsiones epilepticae. Hae maximam similitudinem habent cum Eclampsia et diagnosis in femina gravida et parturienti vix fieri potest, praesertim quum domina *Lachapelle*<sup>6)</sup> se casus observasse dicat, ubi epilepsia tantum per graviditatum tempus reversa sit; sed hae observationes a nullo alio auctore confirmantur, dicunt potius plerique epilepsiam saltem eadem frequentitate aliis quoque temporibus apparere, ac *Velpeau*<sup>7)</sup> et *Meissner*, eam per tempus graviditatis et partus omnino non adesse, itaque graviditatem etc. minime causam primam esse

5) *Hamilton*, praktische Bemerkungen etc. pag. 185.

6) *Meissner's* Frauenzimmerkrankheiten. pag. 317.

7) eodem loco.

epilepsiae, sed, si hoc tempore appareat, jam antea aliqua vi damnosa eam provocatam esse contendunt. Si addimus, epilepsiam esse morbum chronicum, periodice revertentem, paroxysmos plerumque non tam frequentes esse, nec decursum graviditatis et partus turbare (*Dewees*); saepe eis antecedere auram epilepticam, et convulsiones epilepticas in universum minus esse tonicas, quam in Eclampsia fieri solet: in multis casibus profecto certam diagnosin statuere poterimus.

3. Convulsiones ex inanitione. In plerisque casibus causa, quae vehemens haemorrhagia esse solet, proprietatem harum convulsionum ita indicat, ut nullo modo cum Eclampsia confundi possint. Quisque impetus asphyxia finitur, paroxysmi frequentissime revertuntur et praecipue musculi faciei et pectoris convulsionibus afficiuntur (*Burns*<sup>8)</sup>), quo fit, ut sensus debilitatis et imbecillitatis magis magisque augeatur, et perspicuae apparitiones sanguinis defectus: facies pallida, extremitates frigidae etc. observentur, quae aegrotae visum dant prorsus contrarium ei, qui Eclampsia provocatur.

4. Convulsiones apoplecticae. Tantum in iis casibus, ubi stadium congestivum diutius apoplexiae antecedit et continuum est, similes impetus atque in Eclampsia oriri possent; mox tamen intrant apparitiones paralyticae, quae proprietatem harum convulsionum designant.

Eclampsia ut jam supra diximus per graviditatem, in partu ipso et in puerperio apparet, in qua re omnes auctores, *Dewees* et *Kiwisch* exceptis, consentiunt. *Dewees*<sup>9)</sup> dicit, feminas gravidas etiam ex aliis causis quam ex graviditate convulsionibus affici posse, id quod saepe fieri se putare, ac semper statuendum esse, si malum non conjunctum sit cum apparitionibus, quae in partu occurrant. Si partus causa morbi sit, malum semper eo tempore apparere, quo fibrae uteri maxime extensae sint, et os tincae in partu dilatetur; aut si fibrae illae con-

8) *Burns*, Handbuch der Geburtshülfe etc. pag. 494.

9) *Dewees*, die Krankheiten des Weibes. pag. 252.

tentis uteri in excitationem ductae sint, quam impedire non possimus, et quae eandem vim exercent atque partus ipse; se convulsiones observasse ante finitam graviditatem; tum vero uterum eandem excitationem passum esse, quam tempore foetus plane evoluti, et semper signa partus intransit, ut ex exploratione, per vaginam facta, patuerit, adfuisse. Secundum hanc opinionem praecipue ex signis partus, prout aut adsunt, aut desunt, dijudicandum est, utrum aegrota convulsionibus alius generis aut Eclampsia correpta sit; sed supra commemoravimus non solum Eclampsiam, sed varias convulsionum formas cum partu posse conjunctas esse, itaque non quaeque forma convulsionum, quam in partu observamus, Eclampsia appellanda est; praeterea ex historia morbi, quam Prof. *Walter* nobis narravit, scimus uterum feminae, Eclampsia affectae, nullum vestigium ostendisse actionis, quam in partu exercet, et feminam post magnam sanguinis evacuationem et post capitis superfusiones, aqua frigida institutas, ad bonam valetudinem reversam, tribus tantum hebdomadibus praeterlapsis, infantem peperisse. *Kiwisch*<sup>10)</sup> contendit partum ipsum causam esse Eclampsiae, et tantum proficisci posse ex uteri excitatione, quae similis sit excitationi in partu ipso. At secundum verba virorum *Blundell*, *Dugès*, *Münchmeyer*, *Carus*, *Busch*, quae auctor ad opinionem suam confirmandam affert, Eclampsia graviditate nequaquam excluditur, sed potius ostenditur, Eclampsiam, si in graviditate apparet, saepe partum provocare, non vero ita, ut Eclampsia non interrupta graviditate nunquam desinat. Praeterea hoc loco observatio, quam adversus *Dewees* attulimus, adhibenda est.

Magis variae et discrepantes sunt sententiae de tempore, quo Eclampsia in graviditate apparet. Dum *Wigand* et *Blundell* nullam ejus periodum excipiunt, *Busch* se Eclampsiam aliquoties observasse refert mense quarto, *Velpeau* mense sexto, *Hasenberg* septimo, *Burns* convulsiones priorum mensium graviditatis

---

10) *Kiwisch*, die Krankheiten der Wöchnerinnen. pag. 195.

plerumque hystericis adnumerandas esse contendit, *Canstatt* autem primis quattuor mensibus Eclampsiam omnino excludi, *Chaussier* Eclampsiam tantum extremis duobus mensibus et *Ménard*<sup>11)</sup> eam tantum sub finem graviditatis inveniri dicit. Multi auctores inter se consentiunt Eclampsiam primo graviditatis dimidio raro solum apparere, ex hoc autem tempore, ut domina *Lachapelle*<sup>12)</sup> docet, frequentiore esse, ita ut instanti partu malum frequentissimum sit. Quum numerus caussarum morbi graviditate progrediente augeatur, Eclampsiam sub finem graviditatis frequentissimam esse admodum verisimile est.

Omnes auctores in hoc consentiunt, partum ipsum id tempus esse, quo Eclampsia frequentissime observetur; et si alii aliam partus periodum imprimis premunt, nos quidem censemus, quamque periodum satis idoneam caussam Eclampsiae dare, nec ita magnam differentiam inter varias periodos intercedere.

Secundum *Meissner* post partum Eclampsia rarissimo oriri videtur, secundum *Busch* autem pari modo apud feminas gravidas ac puerperas.

Maxime inter se discrepant auctores de frequentia Eclampsiae; nos quidem non consentimus cum domina *Lachapelle*, *Levret* et aliis, si dicunt, caussam varietatis illius imprimis in apparitione epidemica positam esse, sed potius in eo censemus, quod fines Eclampsiae nondum satis constituti sunt, et quod alii scriptores ei attribuerunt ambitum multo latiore, quam alii concedunt. Priusquam igitur diagnosis Eclampsiae inter viros doctos convenit, nobis satis inutile videtur referre, quoties Eclampsia quum omnino in partibus, tum per graviditatem, per partum et per puerperium observata sit, et tantum hoc ex relationibus illis intelligere possumus, quam variae sint observationes a variis scriptoribus factae.

11) *Busch* u. *Moser*, Hndbch d. Gbrtskde in alph. Ordng pag. 86.

12) *Meissners* Frauenzimmerkrankheiten. pag. 322.

Merriman		inter 10,000 partus Melamps. observ. 48ies; per gravidit. —, per part. 42, post part. 6																		
<i>Domina Iachapelle</i>	"	15,652	"	"	"	"	"	"	"	"	40	"	"	"	"	"	"	"	"	"
"	"	22,243	"	"	"	"	"	"	"	"	27	"	"	"	"	"	"	25	"	"
1825 Pacoud	"	2,341	"	"	"	"	"	"	"	"	2	"	"	"	"	"	"	2	"	"
1824	"	1,615	"	"	"	"	"	"	"	"	7	"	"	"	"	"	"	—	"	"
1825	"	1,710	"	"	"	"	"	"	"	"	8	"	"	"	"	"	"	5	"	"
1826	"	2,341	"	"	"	"	"	"	"	"	16	"	"	"	"	"	"	7	"	"
1827	"	5,901	"	"	"	"	"	"	"	"	14	"	"	"	"	"	"	6	"	"
Busch	"	—	"	"	"	"	"	"	"	"	21	"	"	"	"	"	"	41	"	"
<i>Desjardins</i>	"	1,000	"	"	"	"	"	"	"	"	7	"	"	"	"	"	"	5	"	"
<i>Champion</i>	"	3,000	"	"	"	"	"	"	"	"	10	"	"	"	"	"	"	10	"	"
<i>Vepeau</i>	"	—	"	"	"	"	"	"	"	"	21	"	"	"	"	"	"	7	"	"
<i>Collins</i>	"	16,414	"	"	"	"	"	"	"	"	30	"	"	"	"	"	"	—	"	"
<i>Hausmann</i>	"	15,000	"	"	"	"	"	"	"	"	4	"	"	"	"	"	"	—	"	"
<i>Hart</i>	"	400	"	"	"	"	"	"	"	"	6	"	"	"	"	"	"	—	"	"
<i>Churchill</i>	"	38,000	"	"	"	"	"	"	"	"	79	"	"	"	"	"	"	—	"	"

Eclampsia vario modo divisa est; prout alius scriptor congestiva symptomata animadverterat, alius autem Eclampsiam observaverat in femina debili, tenera et minus plethorica, exorta est Eclampsia, quae appellatur apoplectica, Eclampsia nervosa et inter utramque Eclampsia epileptica; alii autem divisionem in proprietate convulsionum posuerunt, itaque exortae sunt Eclampsiae cataleptica et tetanica; ut paucis dicam, raro alius auctor in divisione ab alio facta acquievit, et quoad fieri potuit, novas formas addidit.

Ne a re ipsa longius distrahamur, omittamus quaerere, quo jure illae formae constitutae sint. Discrimine inter Eclampsiam et convulsiones hystericas, epilepticas etc. facto, cum *Wigand, Merriman, Canstatt* et aliis consentimus, naturam Eclampsiae semper eandem esse: permutationem in organismo feminae graviditate et partu provocatam; itaque quamque divisionem in varias formas inutilem esse habendam. Diversitates autem apparitionum, quae per decursum morbi animadvertuntur, positas esse partim in constitutionum diversitate, partim in gradu, quem adeptus sit morbus, partim in subita aut tarda morbi evolutione, praecipue autem in eo, quod aut centrales, aut periphericae partes systematis nervorum primum affectae sint; — ac si *Kiwisch* in hac re ponit divisionem Eclampsiae in congestivam et epilepticam, nos in ea tantum duplicem seriem caussarum agnoscimus, quae in permutationibus organismi profundioribus et nondum satis cognitis eundem morbum provocant, qui in apparitionibus paucas diversitates praebet, sed cujus cura, ut quaevis cura caussalis, aliquam rationem postulat.

## Symptomata.

Transeamus nunc ad Eclampsiam ipsam accuratius contemplantam; per ejus decursum plerumque tria stadia distinguenda sunt:

1) Stadium prodromorum; 2) Stadium paroxysmorum cum intermissionibus; 3) Exitus morbi.

1. Pauci tantum medici sunt [*Ramsbotham*<sup>13)</sup> *Mayer*], qui prodromos in quovis casu negent, et ob hanc ipsam inopinatam apparitionem morbum tam saevum describant; plerique statum utrumque, quum absentiam tum praesentiam prodromorum (*Chaussier, Johns, Burns, Carus, Blundell* et complures alii); alii denique (*Hamilton, Oslander, Wigand, Dewees, Betschler*) Eclampsiam nunquam sine prodromis apparere contendunt. In casibus, qui nobis noti sunt, Eclampsia semper statu organismi magis minusve morbose se indicavit. — Plurimae apparitiones, quae prodromi Eclampsiae habentur, congestionem ad partes centrales systematis nervorum, praesertim ad cerebrum, et irritationem aut pressionem cerebri, illa effectam, demonstrant; qua ex causa feminas videmus in magno animi motu, angore, tristitia, perturbatione; aut in statu continuo insomni et irritato, aut magna somnolentia, quae secundum *Burns*, si non solum extra dolores, sed etiam per tempus dolorum occurrit, praecipue animadvertenda est; facies feminarum rubra, caput perturbatum et calidum est, saepe vertigine, susurru et sonitu aurium molestantur; *Baudelocque*<sup>14)</sup> etiam surditatem observavit; conjunctiva bulbi oculi subrubra est; aegrotata interdum quasi per nebulam videt, scintillas et puncta nigra ante oculos habet, et nonnunquam omnino oculis capitur (*Baudelocque*); lingua interdum infirma est; aegrotatae medio in enunciato deficiunt; saepe amittunt firmitatem incessus, ad res alliduntur, quas ambire voluerunt; interdum jam nunc apparitiones convulsivae in artubus et musculis faciei observantur; rigores, quisecondum *Carus* convulsiones minoris gradus sunt. Symptoma satis constans in numero prodromorum capitis dolor est saepe continuus et vehementissimus; *Dewees*<sup>15)</sup> dicit se hoc symptoma semper observasse, et quidem fuisse dolorem vehementem et intensivum medio

13) *Busch und Moser*. Handbuch d. Geburtskunde in alph. Ordng. pag. 71.

14) Anleitung zur Entbindungskunst. Bd. 1. pag. 552.

15) Die Krankheiten des Weibes. pag. 250.

in capite anteriore, quem dolorem, ut aegrotae dicebant, similem fuisse sensui, quasi clavus capiti defixus esset; post hanc apparitionem tam constanter convulsiones secutas esse, ut semper quam celerrime lanceolam adhibuerit, quam agendi rationem admodum utilem se habere. Et in casibus a nobis relatis dolor capitis ter fere unicum symptoma observatum est. Secundum *Chaussier* et *Wigand* convulsionibus antecedit dolor in praecordiis; *Burns* quoque eum in nonnullis casibus observavit; ventriculum interdum primum organon esse dicit quod afficiatur, et aegrotam morti occumbere posse, antequam convulsiones intraverint; praeter hunc dolorem ventriculi reperiuntur nonnunquam aliae apparitiones gastricae, ut lingua obiecta, cibi fastidium, alvus astricta etc.; *Burns* porro symptoma non raro occurrens refert dolorem vehementem in loco aliquo columnae vertebralis fixum, qui aut solus, aut conjunctus cum dolore capitis reperiatur; similem observationem *Carus* fecit; *Busch* de tensione quadam secundum columnam vertebralem, *Siebold* de sensu rigoris aut frigoris loquuntur, *Rosenberger*<sup>16)</sup> quoque duos casus refert, ubi dolor columnae vertebralis observatus est. *Meissner*<sup>17)</sup> propriam quandam affectionem medullae spinalis in gravidis et parturientibus observavit; quae incipiat ab ardore in intestino recto et in regione sacrali, paulatim longius diffundatur et plerumque congestiones aut convulsiones secum ducat, postquam jam antea dolores puerperae praeter solitum vehementes fuerint, et extremitates convulsionibus affectae sint. *Osiander jun.*<sup>18)</sup> in omnibus Eclampsiae casibus quos observavit faciem et manus turgidas vidit, ita ut tota facies, praecipue in regione musculi massetris, latior fiat, et omnia lineamenta amplificata videantur, manus autem tumidae et rigidae sint. Tumor autem, de quo

---

16) De eclampsia parturientium. Dissertatio inauguralis medica. Dorpati Livonorum 1829. pag. 12.

17) *Canstatt*, Handbuch d. med. Klinik. 3ter Band, 1ste Abthlg pag. 221.

18) *Gemeins. deutsche Zeitschrift für Geburtskunde*. Bd. 2, pag. 596.

hoc loco agitur, a solito oedematoso aut seroso diversa esse et magis in turgore venoso, quam in accumulatione serosa in textura cellulosa ei consistere videtur; secundum *Betschler*, qui eandem apparitionem observavit, hic turgor venosus exsudatione serosa finitur, quae exsudatio a multis medicis animadversa est (*Hamilton, Blundell, Burns, Busch, Betschler*); nos quoque in uno casu oedema per totum corpus diffusum vidimus. Pulsus diversus est, interdum tardus, plenus, tum magis depressus, irregularis. Si *Eclampsia* inter partum intrat, secundum *Mayer* paulo ante impetum dolores puerperae vehementiores fiunt. Denique notandum est: tantum raro multi ex his prodromis conjuncti observantur, sed ex diversis causis modo hi modo illi reperiuntur; dolor autem capitis et turgor aut tumor faciei et extremitatum superiorum maxime animadvertendi sunt. Prodromi hi a paucis minutis usque ad nonnullas dies permanent.

2. Postquam hi prodromi brevius aut longius tempus durant, aut si omnino non adfuerunt, femina subito facultatem sentiendi et percipiendi amittit, et clamore acuto ac saevo colabitur; oculi rigescunt, facies feram speciem et colorem rubidum, livido-rubidum atque adeo cyaneum assumit, valde turgescit et prima fit sedes horribilium contortionum. Oculi seorsum et in partem exteriorem distorquentur; palpebrae aut diducuntur aut cito aperiuntur et clauduntur, — omnes musculi faciei convolutionibus clonicis afficiuntur, excepto musculo massetre, qui, tonice contractus, linguam forte prorectam dentibus comprimitur, ita ut extrema lingua aut cyaneo colore inducatur, aut vulnerata sanguinem effundere incipiat; spuma agitur in ore; fere eodem tempore caput aut subito, musculis cervicis tonice contractis, retrorsum et in sinistram partem trahitur, aut paulatim, contractionibus clonicis in tonicas transeuntibus, in eam ducitur positionem, qua per totum paroxysmum servatur; tum convolutiones per totius corporis musculos diffunduntur et eos interdum vehementissima agitatione corripunt. Interdum dorsi quoque musculi contractionibus tonicis afficiuntur, ita ut corpus retror-

sum contorqueatur. Spasmo musculorum pectoris et laryngis respiratio admodum impeditur; spiritus aegre tantum ducitur et interdum omnino intercluditur; strepitus respirationis impedimenti modo appellatis, dentibus collisis et spuma in ore acta stridens fit; id quod *Denman* <sup>19)</sup> signum tam singulare habet, ut jam ex hoc, non visa aegrota, se stantem in proximo cubiculo morbum agnosce dicat. Turgor faciei per collum et extremitates superiores continuatur; arteriae carotides plerumque vehementer citatae sunt, pulsus nonnunquam initio quidem plenus et durus est, per paroxysmos autem debilis, irregularis fit et vix sentiri potest; organa deglutitionis continuo spasmo contracta sunt, ita ut aegrotae, etsi in rarissimis casibus aliquid in os insereretur, tamen devorare non possent. Interdum evacuationes fortuitae tubi intestinalis et vesicae urinae occurrunt. In nonnullis casibus non ipso initio apparitiones congestionis ad caput manifestae sunt, ita ut facies pallidior videatur; haec diversitas observatur in feminis debilibus, perpallidis, praesertim si convulsiones initium capiunt a nervis uteri irritatis; si autem paroxysmus diutius permanet aut brevi tempore aliquoties repetitur, apparitiones quas supra descripsimus denuo observantur.

Uterus inter paroxysmos vario modo se habet: in gravitate, ubi nullam exercet actionem, interdum, praesertim si arte cito et graviter interceditur, impetus remittentes videmus, utero minime excitato; saepissime tamen dolores intrant, et exploratione per vaginam facta os uteri se aperiens observatur. De statu uteri per partum sententiae valde inter se discrepant: *Burns* cuivis paroxysmo antecedere dicit dolorem, qui illum provocaverit; ejusdem sententiae sunt *Hamilton*, *Deweese*, *Blundell*, *Meissner*. Secundum *Kivisch* uterus in forma Eclampsiae congestiva actionem normalem observare potest, — in forma epileptica autem impetus cum doloribus concurrunt, unde, si dolores frequentius revertuntur, eodemque tempore partus im-

---

19) *Blundell*, Vorlesungen über Geburtshilfe. pag. 271.

peditur, impetus admodum cumulari possunt. *Wigand*<sup>20)</sup> docet convulsiones finito jam dolore incipere; uterum accuratius observatum triplici modo se habere: aut omnino quietum et otiosum, ut esse soleat in intervallis dolorum normalium, aut mediis in convulsionibus actionem normalem et fortem exercere, aut denique ipsum spasms corripit, ita ut dolor, initio normalis, transeat in contractionem spasmodicam particularem aut in tetanum uteri. *Grenser*<sup>21)</sup> ejusdem sententiae est, eo tantum discrimine, ut impetum una cum dolore dicat apparere. *Jörg* autem dolores Eclampsia potius debilitari et deprimi putat, quamquam in gravitate Eclampsia provocentur. *Busch* dicit in gravioribus Eclampsiae casibus dolores lente progredi, et, si citius evolvantur, frequentiam convulsionum deminui. Nos quidem uterum in uno casu vidimus in actione normali, in altero admodum prostratum, nec denique dubitamus, quin uterus etiam particularibus aut universis spasms corripit possit, et quidem praecipue in iis casibus, ubi Eclampsia initium ceperit ab irritatione abnormi nervorum uteri. Post partum quoque, ut *Kiwisch* dicit, convulsiones contractionibus uteri provocantur; non quidem negamus hoc fieri posse, praesertim si dolores post partum vehementissimi sunt; sed observavimus convulsiones, ubi uterus erat in statu normali et adynamico.

Impetus, quos adhuc descripsimus, durant ab una minuta usque ad dimidiam aut totam horam, tum motus convulsivi paulatim remittuntur, facies aspectum horribilem deponit, pulsus denuo sentitur et regularior fit; respiratio facillior, quietior, maxilla inferior plerumque mobilis fit, ita ut lingua, dentibus compressa, in os reduci possit; aegrotam positionem negligentem in lecto assumit atque in profundum soporem incidit, per quem stertens jacet. Si res ad melius se vertit, aegrotam post aliquod

20) *Wigand*, die Geburt des Menschen. pag. 259.

21) *Schmidt*, Eucyclopädie der gesammten Medicin. 2ter Band. 1ste Hälfte. pag. 234.

tempus e sopore expergiscitur, — admirata circumspicit, plerumque tantum de languore, lassitudine et perturbatione capitis conqueritur; eorum quae facta sunt minime recordatur; aut sopor non interrumpitur, sed transitum facit ad impetum novum et vehementiorem quoad intensitatem atque extensitatem, cui, secundum *Merriman*, antecedit retardatio pulsus conspicua. Tempus horum intervallorum admodum diversum est, ab aliquot minutis usque ad complures horas atque adeo dies durat (*Busch*), si Eclampsia per graviditatem apparet. Aegrotā, nisi paroxysmi nimis cito revertuntur, primis intervallis mentis suae compos fieri solet; si autem jam aliquot paroxysmi per breve tempus redierunt, aegrotā, nisi fortia remedia ad impetum amovendum adhibentur, ante partum finitum mentis suae non compos fit, atque etiam post partum, ubi convulsiones, nisi novae causae accedunt, tantum nonnullis impetibus minus vehementibus revertuntur, sopor ille interdum unum aut plures dies permanet. Ex hac temporis varietate intelligitur, aegrotā, nisi partus finitus sit, nullo tempore a reditu Eclampsiae tutam esse. In plerisque casibus Eclampsia ante partum non desinit, itaque prout primum apparuit, complures aut paucos impetus facit; observati sunt impetus viginti et plures, sed interdum, si partus cito finitur, unus tantum reperitur.

3. Eclampsia finem assequitur aut in sanitatem transiens, qua in re impetus rarius subito desinunt, sed paulatim breviores, debiliores et rariores fiunt; in casu prospero aegrotā mox e sopore expergiscitur, mentis suae compos fit, sed nihil eorum recordans, quae per totum morbi decursum acciderunt, infantem ipsi oblatum suum agnoscere saepe recusat; tantum aliquod tempus remanent sensus languoris in artubus intentis, dolor in lingua vulnerata, perturbatio capitis et pulsus magis minusve citatus; in aliis casibus aegrotā non statim mentis suae compos fit, sed primum, cogitationibus perturbatis, responsa non idonea edit; — aut in alios morbos transgreditur: paralyses particulares (*Hausmann*), caecitatem (*Mende*), maniam (*Meissner*, *Bieber-*

geil), insaniam (*Schneider*)<sup>22)</sup>, peritonitiam (dom. *Lachapelle*). *Busch* addit quoque inflammationem pulmonum et cordis et tantam nervorum sensibilitatem, ut aegrotae quavis occasione data denuo convulsionibus corripiantur.

Extremus et frequentissimus Eclampsiae exitus mors est, quae saepe vel fortissimo auxilio a partibus medici amoveri non potest. Mors aut subito intrat inter impetum, apoplexia congestiva aut haemorrhagica, aut in stadio soporoso, postquam respiratio stertorosa est facta, iisdem statibus pathologicis, si modo paulatim vim mortiferam nacti sunt, aut in puerperio ex alio morbo, qui ad Eclampsiam accessit, aut Eclampsia ipsa provocatus est; — aut mors evenit inter impetum ex paralyti cordis, aut in stadio soporoso post multos et vehementes impetus ex debilitatione omnium nervorum (*Kiwisch*). Sed hoc quoque in casu partes centrales nostra quidem sententia congestionibus non prorsus carent, quum multis impetibus circulatio semper vehementer turbetur, atque etsi illae apparitiones provocantur, quas in apoplexia retulimus, tamen, ut sectiones cadaverum docent, exsudatio majoris aut minoris copiae liquoris serosi efficitur, qui systemate nervorum perturbato facile mortem afferre posset. Raro tantum igitur solam paralytin nervorum habebimus. In singulis casibus Eclampsia jam post aliquot horas, paucis tantum paroxysmis praegressis, mortem adducit, — sic *Denman*<sup>23)</sup> casum refert, ubi mors jam post 35 minutas aegrotam vita privavit; plerumque autem mors post complures dies intrat.

Cadaverum sectiones minime nos adjuvant ad accuratorem naturae morbi cognitionem, nec est cur miremur, si cogitamus primum convulsionibus omnino magis quam alio morbo, perturbationibus in corpore provocatis, primum statum pathologicum obtegi posse, tum Eclampsiam saepe tantum per morbos sequentes mortiferam esse, porro ea quae in sectionibus

22) *Meissner*, Frauenzimmerkrankheiten. pag. 331.

23) *Meissner*, Frauenzimmerkrankheiten. pag. 332.

feminarum ex aliis morbis convulsivis mortuarum observata sint, sine dubio etiam sub nomine Eclampsiae communicata esse, deinde sectiones cadaverum non tam diligenter et accurate institutas esse, quam res postulat; sic exempli gratia canalis columnae vertebralis saepissime non aperiebatur; postremo, id quod maximi momenti est, quaestiones microscopicas et chemicas sanguinis et aliarum partium organicarum fere omnino neglectas esse. Itaque tantum cura symptomata e sectionibus institutis utilitatem aliquam capere potest.

Plurimae et maximae permutationes in cranio inveniuntur: majora aut minora extravasata cruenta in cerebro ipso, in ventriculis, in basi cranii aut inter membranas cerebri (*Hamilton*, *Targioni*<sup>24</sup>), *Marchais*<sup>25</sup>), *Leloutre*<sup>26</sup>), *Schedel*<sup>27</sup>), *Menière*<sup>28</sup>), *Merriman*, *Betschler*, *Ramsbotham*, *Kiwisch* et alii); interdum status inflammatorius membranarum cerebri cum magnis exsudationibus serosis in ventriculis et inter membranas (*Siebold*, *Hewson*<sup>29</sup>), *Hooper*<sup>30</sup>), *Ley*<sup>31</sup>), *Betschler*, *Mikschik*); in aliis casibus sinus et vasa membranarum cerebri, partim quoque vasa cerebri sanguine turgent (*Bluff*, *Ramsbotham*, *Siebold*, *Hausmann*, *Hamilton*, *Denman*); inveniuntur autem casus, ubi exigua tantum vestigia congestionis aut parva exsudatio serosa cognoscuntur, aut prorsus nullae abnormitates adsunt (*Siebold*, *Mayer*, *Merriman*, *Bouteilloux*<sup>32</sup>), *Cruveilhier*<sup>33</sup>), dom. *Lachapelle*<sup>34</sup>), *Baudelocque*<sup>35</sup>), *Ciniselli*<sup>36</sup>); interdum cerebrum exsanguis fuit, (*Siebold*, *Ramsbotham*). Medulla spinalis nonnunquam inflam-

---

24) }  
 25) }  
 26) } *Velpeau*, traité complet de l'art des accouchemens. pag. 333.  
 27) }  
 28) }  
 29) }  
 30) }  
 31) }  
 32) }  
 33) } *Busch* u. *Moser*, Handbuch der Geburtskunde. pag. 99.  
 34) }  
 35) }  
 36) }

mata et magna copia liquoris serosi circumdata est (*Siebold, Meissner, Bluff*); in aliis casibus immutata. In cavo pectoris et in pericardio interdum magnae copiae liquoris serosi repertae sunt (*Siebold, Theod. Lovati*); *Denman* se cor semper praeter solitum flaccidum et ne unam quidem guttam sanguinis in atrio et ventriculo cordis reperisse dicit; abdomen secundum *Siebold* nunquam apparitiones abnormes praebuit; alii vero parvas ecchymoses sub peritonaeo animadverterunt (*Kiwisch*), aut peritonaeum inflammatum et pure obiectum, quibus in casibus cavum quoque abdominis liquorem serosum et purulentum continet. Secundum domin. *Lachapelle* pleraeque feminae Eclampsia affectae ex peritoniti mortuae sunt.

*Bluff, Autenrieth*<sup>37)</sup> et *Krimer*<sup>38)</sup> inflammationem uteri observarunt, atque eam, excepto *Bluff*, causam convulsionum habuerunt. *Hamilton* rupturam uteri, *Kiwisch* labiorum uteri, *Busch* etiam aliorum organorum, ut pulmonum aut inflammationes eorum animadverterunt. *Kiwisch* in pluribus casibus emphysema pulmonum vidit.

## Aetiologia.

Ut divisiones illae Eclampsiae, sic quoque sententiae auctorum de proximis ejus causis valde inter se discrepant. *Hamilton* causam Eclampsiae praedisponentem sitam esse dicit in singulari organismi statu, graviditate provocato; ejusdem sententiae *Busch* est: auctam sanguinis copiam, pressionem uteri in vasa et majorem sensibilitatem uteri maxime animadvertendas esse, atque omnes apparitiones ostendere, naturam morbi affectionem cerebri esse. *Carus* primariam causam positam esse docet partim in statu morbozo systematis nervorum, partim in abnormi habitu systematis vasorum, praecipue autem in cumulatione copiarum sanguinis in vasibus cerebri. *Jörg* censet originem

---

37) } *Meissner, Forschungen des 19ten Jahrb. 1ster Theil, pag. 158.*  
 38) }

morbi adhuc quidem ignotam esse, attamen certo colligi posse, omnes irrationes somaticas et psychicas, quae congestiones in cerebrum provocent et sustineant, causas hujus morbi habendas esse; his autem adnumerandam esse auctam sensibilitatem systematicis nervorum et sanguinem, qui plus habeat chyli, minus oxygenii, itaque spissior et ad congestiones proclivior sit. *Burns* originem Eclampsiae in utero irritato, saepe autem in neglecto statu tubi intestinalis quaerit. *Chaussier* imprimis ventriculum irritatum causam morbi habet. *Betschler* Eclampsiam morbum nervosum appellat, non vero merum, quum non nervorum, sed sanguinis systema primarie morbo correptum sit; summum autem malum consistere in aucta venositate, quae jam ante convulsiones exortas se evolverit, et ob variam vim in organa sustentanda magis organica habenda sit. *Tiling* causam Eclampsiae in eo ponit, quod uterus a normali actione impediatur. *Velpeau* menstruationem per graviditatem oppressam, qua uterus, admodum irritatus, in totum organismum aut in systema nervorum reagat, causam Eclampsiae appellat.

Sententias de Eclampsia modo laudatas, quibus auctores se naturam morbi explicasse putant, nihil ad veram morbi naturam cognoscendam adjuvare, quum tantum causas accidentales afferant, cuius perspicuum erit.

Sed confiteri debemus, nos quoque, quod attinet ad naturam Eclampsiae, in iisdem angustiis versari, atque omnes viros doctos, qui hunc rem tractaverunt, et cum *Hamilton*, *Busch* et aliis tantum id dicere possumus, Eclampsiam, quum in proprietate sua solum per graviditatem, per partum et per puerperium reperiatur, necessario positam esse in permutationibus, quae hoc tempore in organismo muliebri locum habent; qua natura autem hae permutationes sint, in quo systemate sedem habeant, utrum vis, quam graviditas in organismum exercent, anomalis sit, an organismus ipse in tali statu versetur, ut vim graviditatis ferre non possit, his de rebus dijudicare non possumus. Permutationes autem, quae adhuc nondum observatae sint, necessario pro-

cedere, jure ac merito ex eo colligimus, quod sub iisdem conditionibus externis in uno casu oritur Eclampsia, in alio autem graviditas aut partus normalem decursum habet. *Kiwisch*<sup>39)</sup> causam plurimorum per graviditatem morborum esse dicit conditionem sanguinis seroso-fibrinosam, chloroticis similem; sed hanc solam in caussis accidentalibus, quas infra referemus, etiam Eclampsiam provocare posse, nobis quidem parum verisimile videtur. *J. C. W. Lever* \*) inter decem feminas, quas Eclampsia correptas observavit, apud novem urinam albuminosam reperit; itaque censet Eclampsiam e morbo renum Brightii profectam esse. Pressione uteri in venas, sanguinem quominus e renibus refluat impediti, et ut semper, ubi tumoribus in abdomine etc. circulatio sanguinis in renibus turbetur, sic hoc in casu urinam albumen continere; hanc urinam albuminosam non semper cum apparitionibus oedematosi conjunctam esse. Sed objiciendum est, sectionibus usque ad hoc tempus institutis, nunquam mutationem in renibus repertam, praeterea urinam in aliis quoque morbis albuminosam esse.

Quum vera hujus morbi natura tam ignota sit, eo magis cordi nobis erit ea momenta indagare, quae aut inter se conjuncta, aut singula sub illis conditionibus, nobis adhuc obscuris, Eclampsiam provocent.

Causae praedisponentes. Quamquam alii (*Desormeaux*<sup>40)</sup>, *Wigand*) nullam constitutionem ab hoc morbo liberam esse contenderunt, alii tamen feminas magis tenera formatione cum aucta sensibilitate, ad hysteriam proclives atque educatione et vitae ratione nervis aegras morbo subjectas esse censuerunt (*Siebold, Denman*)<sup>41)</sup>, alii denique (*Chaussier*)

39) Beiträge zur Ghrtsknde. Würzburg 1848. 2te Abthlg. pag. 68 und 69.

\*) Neue Zeitschrift für Geburtskunde, herausgegeben von *Busch, d'Outrepoint, Ritgen, Siebold*. Band 16. pag. 252.

40) *Busch* und *Moser*, Handbuch der Geburtshülfe in alph. Ordng. pag. 90.

41) *Dewees*, die Krankheiten des Weibes. pag. 248.

constitutionibus sanguinicis, irritabilioribus primas partes dederunt; pleraeque tamen observationes in eo consentiunt, praecipue mulieres robustas, plethoricas huic morbo subjectas esse (*Dewees, Burns, Meissner, Jörg, Hamilton* et complures alii); nostrae observationes hanc sententiam affirmant. Tum plerumque primiparturientes Eclampsia corripuntur (*Velpeau, Denman, Hamilton*), non vero exclusis aliis parturientibus. Secundum *Tiling*<sup>42)</sup> imprimis primiparturientes robustae et jam provectoris aetatis ad hunc morbum proclives sunt.

Secundum <i>Merriman</i> inter 48 fem. Ecl. corrept. primipart. fuere	36
" <i>Collins</i> "    30    "    "    "    "    "    "	29
" <i>Champion</i> "    10    "    "    "    "    "    "	10
In casibus a nobis observat.	3

Saepe Eclampsia in partu geminorum apparere videtur (*Hamilton, Merriman*). Oedema diffusum quod *Burns, Velpeau, Osiander* et alii observarunt, animadvertendum est. Quod attinet ad vim epidemicam, jam *Smellie*<sup>43)</sup> enunciavit Eclampsiam permutationibus quibusdam atmosphaericis subjectam esse, et casus, quos observavit domin. *Lachapelle*, clare ostendunt eam uno tempore frequentiore esse, quam alio; *Denman*<sup>44)</sup> quoque se certis anni temporibus eam saepius observasse dicit. *Ramsbotham* Eclampsiam calida tempestate frequentiore esse quam frigida animadvertit, praesertim si aër vi electrica sit imbutus; *Andral* ejusdem sententiae est; *Dewees* fieri posse concedit, ut Eclampsia epidemice appareat. Quod *Carus* observavit, Eclampsiam haereditate tradi, a nullo alio auctore confirmatur. Praeterea vitia organica cerebri et organorum pectoris (*Busch*), uteri, exempli gratia callositas colli uteri (*Tiling*), permagna sensibilitas systematis sexualis (*Kiwisch*) caussis praedisponen-

42) *Carl Chr. Schmidt*, Jahrbücher etc. Bd. 13. pag. 185.

43) *Busch und Moser*, Handbuch der Geburtskunde in alph. Ordng. pag. 92.

33) *Dewees*, die Krankheiten des Weibes. pag. 247.

tibus adnumeranda sunt. Situs vitiosus foetus Eclampsiam non praedisponit (*Collins*<sup>45</sup>), *Lee*<sup>46</sup>), *Johnson*<sup>47</sup>).

Causae accidentales. In tali rerum conditione omnino Eclampsiam excitare possunt momenta, quae aut insolitam sanguinis congestionem ad partes centrales systematis nervorum efficiunt, aut magnam irritationem nervorum periphericorum, praesertim uteri et tubi intestinalis provocant. Ad haec referenda sunt inter graviditatem nimia extensio uteri per geminos aut permagna copia liquoris amnii, usus ciborum et potuum fervidorum, permutatio vitae laboriosae et agilis sub aëre libero cum vita otiosa in victu copioso et firmo, cruditas, habitatio in locis humidis, corrupto aëre impletis, quamobrem secundum *Dewees* et *Kiwisch* Eclampsia imprimis inter pauperes reperitur, motus nimis vehemens, irritatio phantasiae incestis cogitationibus, excitatio partium sexualium nimis frequenti coitu, varii status animi: aegritudo, pudor, metus, gaudium; vestes astrictae etc. etc.

Jam dolores normales in partu vehementem sanguinis congestionem ad caput provocant; multo autem magis hoc fit, si dolores vehementer concutiuntur, praesertim si normalis actio partus impeditur abnormi structura uteri, rigiditate, callositate colli uteri, atresia oris uteri, irritatione tubi intestinalis, noxiis ingestis, remediis purgantibus, accumulatione excrementorum, irritatione vesicae urinae per pressionem uteri in ejus collum, retentione urinae, ex hac pressione profecta, irritatione vesicae calculis etc. Irritatio uteri nostra sententia maxime animadvertenda est, quum etiam extra graviditatem morborum status uteri saepe cum irritatione et convulsionibus conjuncti sint; eodem modo res se habet, si tubus intestinalis irritatur.

---

45 } Neue Zeitschrift für Geburtskunde von *Busch*, *d'Outrepoint*,  
 46 } *Ritgen*, *Siebold*. Bd. 16. pag. 241.  
 47 }

Post partum Eclampsia sine dubio cum convulsionibus, ex debilitate et haemorrhagia profectis, confusa est, quum hae praesertim hoc tempore appareant. Eclampsia, quae hoc tempore observatur, saepe tantum continuatio est Eclampsiae in partu jam inceptae; sed potest quoque nunc primum oriri ex irritatione uteri placenta retenta, velamentorum partibus aut sanguinis coagulis relictis, vehementibus contractionibus (*Kiwisch*) irritatione tubi intestinalis (*Marshall-Hall*<sup>48)</sup>); si diutius post partum apparet, profecto cum lactis secretionem nunc se evolventi, cum lochiis suppressis et aliis morbis puerperalibus cohaeret.

Plerumque initium Eclampsiae in communi vi complurium caussarum, quas supra retulimus, positum est; sin semel adest, tantum una ex iis opus est, ut convulsionem a remissione impediatur; sic multitudo momentorum excitantium partu finito evanescit, Eclampsia autem nondum illico desinit.

## Prognosis.

Omnes scriptores inter se consentiunt, Eclampsiam summum periculum quum matri tum infanti afferre. *Jacobs* omnes feminas Eclampsia correptas mori, et rarissimo casum prosperum occurrere dicit; ejusdem sententiae *Boër*<sup>49)</sup> videtur esse, quum venaesecionem et alia remedia rejiciat, nec ab ullo salutem exspectet; *Plenk* cum iis consentit. *Parr*<sup>50)</sup> ex 10 aegrotis 6—7 in fortissimo auxilio morbi occumbere docet. *Hunter*<sup>51)</sup> et *Lowder*<sup>52)</sup> lectionibus suis extra dubitationem ponunt plus quam dimidiam partem feminarum mori, quae inter partum convulsionibus erant correptae; ejusdem sententiae *Busch* est; et profecto non possumus non consentire cum iis, si tabellas hac de re compositas comparamus.

48) Beobachtungen und Vorschläge aus dem Gebiete der praktischen Medicin. pag. 159.

49) Gemeinsame deutsche Zeitschrift f. Geburtskunde. Bd. II. p. 568.

50) }  
51) } *Blundell*, Vorlesungen über Geburtshülfe. pag. 270.  
52) }

<i>Mauriceau</i>	ex 45	feminae	Eclampsia	correptis	amisit	morte	21
<i>Merriman</i>	48	"	"	"	"	"	11
<i>D. Lachapelle</i>	23	"	"	"	"	"	9
<i>Champion</i>	10	"	"	"	"	"	3
<i>Plenk</i>	12	"	"	"	"	"	12
<i>Desjardins</i>	7	"	"	"	"	"	0
<i>Velpeau</i>	21	"	"	"	"	"	8
<i>Hamilton</i>	12	"	"	"	"	"	0 p. a.
<i>Churchill</i>	152	"	"	"	"	"	42
<i>In nosocom. obst.</i>							
<i>Vindobon.</i>	43	"	"	"	"	"	24
<i>Walter Pr. Drp.</i>	5	"	"	"	"	"	0.
	ex 378	"	"	"	"	"	130.

Prognosis accuratior ab ea re pendet, utrum Eclampsia jam inter graviditatem, an inter partum, an post eum apparuerit; utrum femina primum pepererit, necne; quomodo valetudo ejus ante morbum exortum fuerit; quomodo uterus in convulsionibus universalibus se habuerit; praesertim autem, quomodo singuli paroxysmi inter se et quoad intervalla se habuerint. Sine dubio autem magis quam in plerisque aliis morbis a medico pendet, utrum fortis intercedat, an magis desidiosus observet. Plus spei subest, si convulsiones posteriori partus periodo erumpant ita ut partus celeriter et sine magno labore auxilio artis fini possit; sic quoque, si periodo priori partus infantis non soli naturae nimis diu committitur, porro si convulsiones post partum apparent; denique si aegrotata non nimis plethorica et a gravioribus vitiis organorum libera est, si graviditas non est prima, uterus actionem normalem conservat, si impetus rariores et minus vehementes sunt, ac si femina in intervallis mentis suae compos fit. Minus prospera prognos est, si primiparturientes jam provectoris aetatis Eclampsia corripiuntur, si aegrotatae admodum plethoricae aut corpora vitiis organicis, praesertim cerebri et pectoris (*Wigand*) imbutae sunt, si Eclampsia prioribus partus periodis aut graviditatis tempore apparet et si

medicus naturae succurrere diutius cessat, si porro paroxysmi brevioribus intervallis separantur; aegrotae e sopore omnino non expergiscuntur; si respiratio stertorosa fit (*Hamilton*); si gravia impedimenta partus, ut spasmus et rigiditas oris uteri adsunt; si denique (secundum *Kiwisch* apparitiones pessimae), continua repetitio convulsionum se conjungit cum pulsu deminuto et facie pallida ac frigida.

Secundum plerasque observationes prognosis infanti etiam multo pejor est; sic *Busch* ex 47 infantibus unum tantum vidit servatum, et secundum *Hausmann*<sup>53)</sup> omnes fere infantes mortui in lucem editi sunt. Sed praeter has observationes faustiores quoque habemus; sic *Merriman* ex 38 infantibus tantum 25 mortuos esse refert. Omnino hac in re monendum est, Eclampsiam saepe ad abortus accedere et foetus nondum maturos facilius periculo succumbere. Majoris autem momenti in prognosi infantis quam matris est, quo tempore Eclampsia appa-ruerit, et *Meissner* dicit, tantum ubi partus cito fini-ri possit, infantes vivos in lucem edi; si autem paroxysmi diutius dura-rint aut saepius reversi sint, infantes plerumque omnes morti succumbere. *Wigand*, quod attinet ad prognosin infantium, con-vulsiones parturientium eo majus periculum foetui afferre docet, quo minus hic libertate quadam aut separatione uteri ab impetu aliarum sphaerarum tutus sit et quo saepius et fortius systema nervorum in uterum reagat atque ibi tetanum aut similes appa-ritiones provocet.

Prognosis minus infausta videtur, quod attinet ad morbos Eclampsia provocatos, quum etiam vehementes perturbationes, ut paralyses, mania etc. in plerisque casibus evanuerint.

## Cura.

Gravitate rei factum est, ut nihil ad curandam Eclampsiam omissum sit, itaque viri docti varias vias ingressi sunt; prout

53) *Carl Chr. Schmidt*, Jahrbücher. Bd. XXVIII. pag. 190.

igitur alii hunc morbum in systemate nervorum situm habuerunt, remedia antispasmodica, nervina adhibere suadebant, alii, praecipue systema sanguinis accusantes, in evacuatione sanguinis salutem quaerebant; alii denique, solam uteri irritationem spectantes, ex accelerato partu sanitatem expectabant. In quavis harum rationum medici rursus varias vias ingressi sunt; sed singulas earum hoc loco enumerare easque in utramque partem considerare, nos longius a re ipsa traheret itaque primum eam potissimum curandi rationem afferemus, quae et aliis et nobis ipsis efficacem se praebeat, tum et reliquas curandi rationes memorabimus, quibus medici, coacti necessitate, uti sunt.

Remedia quae semper prospero eventu adhibuimus sunt: venaesectio, praeceps superfusio capitis aqua frigida ex loco altiore, derivatio in partes a capite remotiores, acceleratio partus et, simulac aegrota potuit glutire, fortes purgationes.

Venaesectio remedium est experimento tam spectatum, ut raro occurrant casus, ubi medicus dubitare possit, utrum adhibeat venaesectionem necne; jam primo aegrotae aspectu manus medici ipsa lanceolam arripiat, ut eam a periculo liberet. Jam priori tempore quisque medicus in Eclampsia curanda sanguinem emisit et quod *Mauriceau*<sup>54)</sup> suavit, ut in convulsionibus inter partum, nisi ex immodica haemorrhagia profectae sint, statim vena secaretur, usque ad hunc diem paucis tantum casibus exceptis accurate observatum est. Quamquam nonnulli scriptores in certis Eclampsiae formis et in constitutionibus debilioribus venaesectionem nolunt adhibere; nos tamen eam non solum in feminis admodum plethoricis, sed etiam in debilibus, simulac saevis illis convulsionibus correptae sunt, illico instituendam esse censemus, quum casus a *Betschler*, *Haselberg*, *Deweese*, *Hamilton* observatos videmus, ubi his quoque feminis evacuatio sanguinis auxillum attulit; nec difficile videtur explicatu, quum convulsiones in universum, praecipue autem hoc genus earum,

54) *Traité des maladies des femmes grosses etc.* Tom. I. pag. 550.

circulationem sanguinis vehementer perturbent, et partes centrales accumulato sanguine urgeant, si autem jam antea congestio adfuit, id quod in feminis etiam maxime debilibus fieri potest, periculum convulsione augetur.

*Hamilton*<sup>55)</sup> se in prima venaesectione propriae constitutionis rationem prorsus nullam habere dicit; nam experientiam se docuisse, illam feminis tenerrimis et admodum debilibus eandem utilitatem afferre quam robustis. Itaque eos quoque casus non semper a venaesectione excipimus, ubi apparitiones languoris, exempli gratia post partus graves ac diutinos, adsunt simulque autem Eclampsia ex irritatis nervis uteri et tubi intestinalis profecta est. Sive igitur convulsiones eclampticae magnis congestionibus ad partes centrales, sive abnormi irritatione nervorum periphericorum provocatae sunt, semper sanguinem emittemus, praesertim quum *Burns* et *Hamilton* doceant, venaesectione non solum sanguinem e partibus centralibus abduci, sed etiam os uteri relaxari et operationem forte efficiendam admodum adjuvari.

Nunc quaeritur quantum sanguinis emittendum sit, ut prosper eventus morbi expectetur. Fere plerique medici inter se consentiunt in verbis: „magnam venaesectionem“ instituentam esse; sed quantum discrepent de quantitate sanguinis emittendi ex his patebit: *Merriman* et *Busch*, prout constitutio aegrotae sit, 8—10—20 ℥ sufficere dicunt, ut periculum amoveatur, nisi forte venaesectiones minoris quantitatis repetendae sint. *Hamilton* contra prima venaesectione nunquam minus quam 50 ℥ emisit, et si status aegrotae hora praeterlapsa se in melius non verterat, eandem venaesectionem repetivit; affirmat ex permultis aegrotis quas tractaverit, tantum tres mortuas esse, id quod huic forti intercessioni attribuit. Copia sanguinis 20—30 ℥ emissa Eclampsiam vehementiorem nequaquam tolli censet. *Dewees* sanguinem mittit, donec vehementia impetuum

---

55) Praktische Bemerkungen über verschiedene geburtshülfliche Gegenstände. pag 188.

remiserit aut repetitio eorum impedita sit; putat minus quam 24—30 ℥ raro sufficere et amplius quam 70—100 ℥ raro postulari. Aliquando per septem horas 120 ℥, omnino autem ex eadem aegrota 140 ℥ sanguinis misit. *Blundell* dicit interdum 20—70 ℥ sanguinis feminis modica plethora et solita constitutione per 5—6 horas detractas esse; se ipsum per duas aut tres horas 70 ℥ sanguinis detraxisse, nec ulla vestigia sanguinis defectus apparuisse. *Burns*<sup>56)</sup>, qui Eclampsiam ducit ex irritatione nervorum sexualium, itaque eam parem habet formae epilepticae Eclampsiae secundum *Kiwisch*, qui in hoc casu venaesectionem tantum in feminis plethoricis admittit, magis periculi adesse dicit, si parum quam si nimium sanguinis detrahatur; usque ad 80 ℥ prospero eventu missas esse. Nostra sententia de copia sanguinis detrahendi est, si morbus cum congestionibus, tantum aliquo modo vehementibus, apparet, aut subito aut quam brevissimo tempore saltem ℥.ii sanguinis mittendas esse, si sopor non interrumpitur, venaesectionem ℥.xii repetendam esse, quae copia, si res postulat, iterum detrahenda est; uno tantum in casu coacti sumus hanc copiam sanguinis ℥.iv detrahere. Parvae venaesectiones, etsi saepius repetuntur, nostra quidem sententia raro tam efficaces possunt esse: sic *de la Motte*<sup>57)</sup> per quinque extremos graviditatis menses coactus est, ut 86ies venam secaret, nec tamen Eclampsia, si omnino Eclampsia fuit, admodum deminuta est.

Nos quidem si non coacti sumus tantam copiam sanguinis, quantum *Hamilton* et *Dewees*, detrahere, hoc partim proprietati gentis, multo magis autem remediis eodem tempore cum venaesectione aut paulo post eam adhibitis attribuimus; itaque persuasum habemus, ubi remedia illa adhiberi non possint, tantum ex magna venaesectione prosperum morbi eventum expectandum esse.

56) Handbuch der Geburtshülfe etc. pag. 498.

57) Handbuch der Geburtshülfe etc. pag. 498.

Variae sunt sententiae de quaestione quodnam vas aperiendum sit. *Baudelocque* et *Dewees* e vena jugulari, primus quoque e vena saphena, *Denman* ex arteria temporali sanguinem mittere voluerunt. Nos tamen censemus, utilissimum esse venam brachii (media nam) aperire, quum, si res postulat, ex amobus brachiis eodem tempore et quam celerrime necessariam sanguinis copiam mittere et vulnus obligare commode possimus, id quod in vehementibus convulsivibus maxime animadvertendum est. Vena jugularis tum tantum aperiatur, si in magno oedemate brachiorum venae difficiles sunt repertu; semper tamen compressio venae jugularis res periculosa est, quum ea sanguinis a capite refluxus impediatur; praeterea feminarum iniquis de tractionem sanguinis ex hoc vase admodum turbaret.

Tempus, quo venaesectio instituenda sit, dubium esse non potest; quum primum aegrota adspicitur, statim lanceola arripiatur, nec proximus impetus exspectetur, qui aegrotae exsudatione in cranium facile mortem afferre posset. Quo prius et quo breviori tempore necessaria sanguinis copia detrahatur, eo prosperiorem eventum sperare licet.

Evacuationes sanguinis topicae solae ad Eclampsiam amovendam rarissimo, et fortasse in feminis tenerrimis, valde debilitatis sufficient, quae magnam sanguinis copiam ex utero jam emisissent et tamen cerebrum irritatum habent (*Marshall-Hall*<sup>58</sup>). Saepissime evacuationes topicae adhibitae sunt ad universales adjuvandas (*Wigand, Chaussier, Dubois, Meissner* et multi alii), et quidem auxilio cucurbitarum et hirudinum in cervice, processibus mastoideis, in epigastrio, in regione hepatis, in spina dorsali. Nos quidem censemus etiam tum singularem effectum ab iis non exspectandum esse, jam propterea quod in magna inquietudine aegrotarum aut magna tantum difficultate, aut in singulis casibus omnino non adhiberi possunt; itaque

---

58) Beobachtungen und Vorschläge aus dem Gebiete der praktischen Medicin. pag. 161.

evacuaciones sanguinis topicae praecipue utilitatem afferunt, ubi, Eclampsia jam amota, affectiones cerebri relictæ sunt.

Praeter evacuaciones sanguinis superfusiones capitis aqua frigida congestionibus opponimus, et persuasum habemus eas maximam utilitatem afferre et evacuaciones illas copiosas supervacaneas reddere. Historia morbi, a Prof. *Walter* <sup>59)</sup> jam communicata, ostendit, venaesectione praegressa superfusiones frigidas, in prima apparitione paroxysmi repetitas, paroxysmum ipsum semper avertisse. Nos ad hunc finem, postquam aegrotam ita in lecto collocavimus, ut superior pars corporis super marginem lecti emereret, labro supposito, corpore autem velamentis ab irrigatione munito, aquam frigidam radio duorum digitorum diametro ex altitudine unius aut duorum pedum magna vi capiti superinfudimus, id quod longioribus aut brevioribus intervallis per aliquot minutas repetivimus, atque ubi necessarium videbatur, capillos detondimus.

Jam prius frigus capiti adhibitum est, sed plerumque tantum forma cataplasmatum frigidorum, ita ut aqua, nix, glacies capiti imponerentur (*Merriman, Carus, Jörg, Burns, Haussman, Mayer, Tiling* et alii); nobis autem vis frigoris, tali modo adhibiti, nimis exigua videtur et hanc ob causam eam superfusionibus frigidis postponimus. *Denman*, qui et ipse superfusiones frigidas adhibuit, magnam vim iis attribuit, sic quoque *Blundell*, qui saepe casus observavit, ubi summam utilitatem attulerunt, id quod ab aliis scriptoribus affirmatur. *Busch* superfusiones praecipue in statu torporis et animi defectus saluberrimas habet. *Lettstroem* superfusionibus frigidis saepe repetitis sanitatem aegrotis restituit. *Denman* <sup>60)</sup> commendat, et quidem imprimis in quovis convulsionum impetu, faciem aegrotæ aqua frigida

---

59) Neue Zeitschrift für Geburtskunde von *Busch*, d'*Outrepoint*, *Ritgen, Siebold*. Bd. XVI. pag. 294.

60) *Marshall-Hall*, über die Krankheiten u. Störungen des Nervensystems; ins Deutsche übertragen von *Fr. J. Behrend*. Leipzig 1842. pag. 372.

crebro conspergere. Atque ea saepe impetum se avertisse affirmat.

Cum superfusionibus conjunximus derivationes in remotiores a capite partes: sinapismos in suris et brachiis, involutiones crurum velamentis, aqua calida madefactis. Similes derivationes a plerisque medicis adhibitae sunt, in quem finem alius radice armoraciae, alius sinapismis, alius denique emplastris cantharidum usus, haec incitamenta variis partibus corporis applicuerunt, cruribus, plantis pedum, hypogastrio, epigastrio, brachiis, dorso, cervici, vertici (*Siebold*). *Haselberg* mallum aquae fervidae immersum cervici imposuit. *Regnault* Eclampsiam inter graviditatem amovit, vesicatorium abdomini imponens. *Hamilton* casum memorat, ubi, quum venaesectio vehementi oedemate impedita fuerit, fere totum corpus aegrotae emplastris cantharidum involverit; initio quidem impetus frequentiores fuisse; quum vero liquor serosus e vesicis, emplastro excitatis, effluisset, impetus desiisse et partum via normali finitum esse. In universum autem empl. cantharid. nobis nimis tarde vim suam exercere et melius postea, remedium derivans, ut morbi post Eclampsiam exorti amoveantur, adhibendum videtur esse.

Quum primum aegrotata glutire potest, adhibemus aliquot magnas doses hydrarg. muriat. mit. cum rad. Jalapp., gr. x c. ℥j, partim ut tubum intestinalém faecibus evacuemus, partim ut derivationem in eum efficiamus. Utile esset cum his remediis clysmata solventia conjungere, ut tubus intestinalis eo citius evacuetur, ratio, quae praecipue in perturbationibus cerebri animadvertenda est. Si tali modo ad finem nostrum pervenimus, clysmata irritantia applicentur. Quod attinet ad evacuationem tubi intestinalis, plerique medici eam necessariam habent; at in hunc finem variis remediis usi sunt, sic fol. sennae cum magnes. sulphuric., rad. rhei, ol. ricini, saepissime autem hydrarg. muriat. mit. (*Hamilton, Merriman, Burns, Dubois, Busch* et alii). Cum clysmatibus solventibus saepe remedia antispasmodica aut antiphlogistica conjunguntur, aut haec et illa alternatim appli-

cantur. *Dubois* clyσμα posuit e muriate sodae; *Busch* ex infus. rad. valerian., asa foetida, opio; *Siebold* ex infus. flor. chamomill. aut rad. valerian. cum liq. ammonii succinici, opio, asa foetida. De utilitate quam afferunt clysmata antispasmodica, quum eandem habeant vim, ac si remedia ore excipiuntur, postea pauca dicemus. Alia ratio tubi alimentarii evacuandi fit per vomitoria, per tart. stibiat., rad. ipecacuanh.; hanc viam viri docti ingressi sunt, quum observaverint, Eclampsia vomitione spontanea finem assecutam esse. (*Merriman, Bard*<sup>61</sup>). Sed jam *Mauriceau* vomitoria in hoc morbo adhibita vehementer dissuasit, et nos censemus in rarissimis tantum casibus, ut si graves gastricae apparitiones adsunt aut si aegrotā paulo ante impetum largiter coenata est, tubum alimentarium hac via evacuandum esse, quum vomitoria non tantum congestiones admodum augeant, sed etiam ventriculum, praesertim si quo modo affectus est, facile ita irritari possint, ut morbi periculosi provocentur.

Quamquam in cura adhuc tractata Eclampsia, quae per graviditatem et per partum orta est, interdum cedit, ac quum graviditas tum partus normali decursu progrediuntur, in plerisque tamen casibus convulsiones non desinunt; oritur igitur quaestio, sitne alia via salutis feminae et infanti et quae illa sit. Ut huic quaestioni respondeamus, in memoriam revocemus, quae jam supra diximus: gravissimas causas Eclampsiae in ipsa graviditate et in partu positas esse; utero extenso sanguinis circulationem impediri ac pressione organa vicina irritari, tum quemque dolorem partus congestiones ad caput magis minusve augere, porro Eclampsiam, si per graviditatem orta est, plerumque partum provocare, sin inter partum appareat, hunc saepe tumultuose decurrere et uterum ad foetum expellendum interdum tam vehementer se contrahere, ut rupturae fiant labiorum oris uteri, denique in plerisque casibus convulsiones partu finito desinere,

---

61) *Merriman*, die regelwidrige Geburt u. ihre Behandlung. p. 143.

postremo autem, Eclampsia diutius permanente, systema nervorum et omnes vires parturientis debilitari et quovis novo paroxysmo vitam infantis in periculum vocari. Quibus rebus consideratis respondere necesse est, periculum eo tantum, quod partus quam celerrime finitur, a matre et ab infante amoveri. Variæ autem periodi partus et graviditas postulant agendi rationem variam, non aequè periculosam; ex quo nova oritur quaestio, possitne graviditas et quæque periodus partus ad salutem matris et infantis interrumpi, et utrum majus periculum afferat, si arte intercedatur, aut si partus naturæ committatur. Ad hanc rem accuratius dijudicandam singulas partus periodos, quibus diversa intercessio operativa postulatur, retro usque ad graviditatem percenseamus, ut tali modo indicatas quoque operationes cognoscamus.

1. Finis secundæ aut initium tertilæ periodi partus. Si hoc tempore partus hæret aut graves congestiones ad caput provocat, nullus medicus profecto operationem longius differet, et jam antiquiores tunc forcipe obstetricio utebantur aut manum in uterum ad foetus versionem ingerebant, prout caput foetus jam profundius in pelvim descenderat aut mobile supra aperturam pelvis superiorem situm erat. *Baudelocque* usum forcipis, et si caput alte situm est, quam maxime suadet, quum irritatio uteri, hoc instrumento effecta, multo minor sit ea, quæ manu utero ingesta provocetur. Etsi hoc concedendum est, tamen quod *Kiwisch*<sup>62)</sup> suadet, ut partus primum per forcipem tentetur et, si res non processerit, ad versionem transeat, probandum non est, quum versio in tali rerum conditione rarissimo tantum fieri possit. Nec probabilius consilium *Mitchel* videtur, qui postulat ut, si forceps adhiberi non possit, perforatio versioni anteponatur; nam versio sæpe prosperrimo eventu facta est. Nos autem censemus, non solum ubi hac periodo partus hæreat, sed semper non expectata primum, ut *Baudelocque* postulat,

62) Die Krankheiten der Wöchnerinnen. pag. 224.

actione naturae, operatione intercedendum ac foetum per forcipem aut versionem subsequente extractione evolvendum esse; quam sententiam eo affirmari putamus, quod primum quovis partus dolore periculum ante non determinandum parturienti oriri potest, tum, quod circulatione inter paroxysmum turbata, vita infantis in magnum periculum vocatur; denique quod observationes in nosocomio obstetricio, a nobis factae, hanc agendi rationem commendant.

2. Partus inceptus, ore uteri aut omnino recluso aut paulum tantum aperto. In hoc casu agendi rationes admodum variae sunt. Jam *Mauriceau* <sup>63)</sup> partum remedium optimum ad convulsiones removendas esse dixit; interdum autem os uteri, si convulsiones apparent, non commode apertum esse et tum, donec os uteri, ut conveniat, aperiatur, nihil aliud nisi remedia solita: evacuationem sanguinis etc., adhibenda esse. Ejusdem sententiae *Denman* est, monens, ne partus jam prima periodo incipiatur, nisi facili negotio effici possit. Cum eo *Blundell* consentit. *Baudelocque* suadet, partum artificialem non nimis accelerare, sed tantum cogente necessitate adhibere; sic quoque *Merriman*, *Dubois*. *Burns* <sup>64)</sup> dicit, se tantum consentire cum iis, qui apertionem oris uteri violentam rejiciunt, sed non minus cum iis, qui, ut partus non adhibita vi quam celerrime efficiatur, suadent. Alii, partum acceleratum habentes necessarium, os uteri remediis adhibitis ad apertionem ducere suadent, ut tum partus aut natura finiatur, aut arte facilius adjuvetur. *Osiander* sen. ad hunc finem usus est unguento ex ℥j opii puri cum ℥j unguenti rosati, quod aut digito, aut spongia, aut oris uteri dilatatorio portioni vaginali aut ori uteri applicuit. *Chaussier*, ductus observationibus medicorum oculariorum, in hanc finem adhibuit unguentum liquidum ex ℥ij extr. Belladonnae, ℥j cerati simplicis, quod per

63) Traité des maladies des femmes grosses et de celles qui sont accouchées. Tom. I, pag. 335.

64) Handbuch der Geburtshülfe etc., pag. 550:

siphonem, in hunc finem factum, ori uteri applicuit. *Baudelocque* suadet, ut primum, si res postulat, velamenta ovi displodiantur. Alii tamen partum artificialem quam celerrimum exigunt; sic *Osborn* nullum remedium cum spe prosperi eventus adhiberi dicit, antequam partus finitus sit; eum igitur quam maxime accelerandum esse. *Hamilton* monet, ut partus venaesectione facta quam celerrime finiatur: cujus rei necessitatem se adeo persuasam habere, ut potius perforationem, quam retardationem partus concederet. Itaque os uteri digitis aut dilatatorio aperitur (*Osiander jun., Tiling, Haselberg et alii*), aut labia oris uteri inciduntur (*Dubosc, Lauverjat, Coutouly*), aut remedia dolores partus excitantia adhibentur (*Warthouse*)<sup>65</sup>, aut denique perforatio et sectio caesarea efficitur.

Quod attinet ad nostram sententiam de via, quam medicus hac periodo ingrediatur, censemus primum omnia remedia, quae ad convulsiones amovendas suppetunt, adhibenda esse, et tum demum, si nullam utilitatem attulerint, vita autem matris et infantis convulsionibus continuo repetitis, in periculum vocetur, ad violentam oris uteri apertionem aggredi necesse esse, ea tantum conditione, ut genitalia exteriora tam evoluta sint, ut partus edi possit. Quo in casu autem, prout res postulat, primum ratio minus violenta adhibeatur, ita vero, ut non multum temporis perdatur; crescente tamen periculo partus artificialis, prout rerum conditio postulat, quam celerrime efficiatur. Sic in nonnullis casibus, ubi os uteri paulum tantum apertum, sed facile apertu videtur; uterus autem admodum extensus est, ita ut *Eclampsia* ex hoc profecta esse posset, infans vero aut capite aut natibus procumbit, primum velamenta ovi rumpantur et permutatio oris uteri aliquamdiu expectetur, tum, si necesse est, os uteri digitis aut dilatatorio extendatur et infans per forcipem aut versionem et extractionem ex utero emoveatur. In aliis casibus autem os uteri, admodum tensum, convulsive contractum

65) *Meissner, Frauenzimmerkrankheiten. pag. 371.*

est, aut margines oris uteri duri et callosi sunt. Tum si partus accelerandus est, ab extensione oris uteri per digitos aut dilatatorium nullum auxilium expectare possumus, sed natura ipsa docet, quam viam ingrediamur; nam in talibus casibus saepe magnae rupturae oris uteri occurrunt. Itaque apertio cruenta oris uteri instituenda et partus ratione supra descripta finiendus est.

Remedia dolores excitantia (abortiva) ad accelerandum partum nobis prorsus rejicienda videntur, quum tantum periculum et matri et infanti afferre possint, partim, quod nonnulla ex iis organismum irritant et ita congestiones ad caput provocant; partim quod contractionibus vehementibus uteri, illis remediis effectis, congestiones augentur, aut, si impedimenta non superanda obstant, ruptura aut paralysis uteri necessario adducitur.

Unguenta ex opio et belladonna non majorem utilitatem afferre nobis videntur, quum plurimum irritationem oris uteri deminuunt; si autem de eo agitur, ut partus quam celerrime finiatur, nimis lente vim suam exercent; per longius tempus vero propterea adhiberi non possunt, quod facile narcosin aut paralytin oris uteri efficerent.

Perforationem tantum ibi institueremus, ubi certa indicia mortis infantis adsunt, aut ubi caput infantis pelvi multo majus est.

Sectio caesarea nostra sententia tantum pelvi nimis angusta, quae nullam aliam operationem permittit, indicata est. Si respicimus Eclampsiam conjunctam cum sectione caesarea vix unquam a femina tolerari posse, non nisi in casu supra appellato et post mortem matris ad hanc operationem aggrediemur.

Quod pertinet ad viam, quam ingrediatur medicus, prout convulsiones aut ex vehementi congestione ad partes centrales, aut ex irritatione nervorum periphericorum profectae sunt, adjiendum est, curam in utroque casu fere eandem esse; in casu extremo fortasse non ita magna copia sanguinis emittenda est.

In irritatione nervorum periphericorum, quum quisque dolor novum paroxysmum provocet, partus eo magis accelerandus est. *Kiwisch* casus refert, ubi sensibilitas oris uteri tanta fuerit, ut minima ejus tactione impetus excitatus sit, atque ore uteri modice dilatato contractiones spasmodicas, forcipe admoto, tam vehementes fuisse, ut operatio perfici non potuerit; etiam transsecto ore uteri in superioribus uteri partibus contractiones admodum molestas apparuisse. Ex ipsa re patet, in talibus casibus ab operatione desistendum et ad alia remedia minus certa recurrendum esse, ut ad calidas lavationes dimidii aut totius corporis, conjunctas cum superfusionibus capitis aqua frigida, ad circumlitionem labiorum oris uteri remediis narcoticis, et quidem secundum *Kiwisch*, universali vasorum actione submissa, morphio gr.  $\frac{1}{8}$  —  $\frac{2}{4}$  per os et tinct. opii forma clysmatis. Nobis autem in tali rerum conditione omnia remedia inutilia videntur, et quum quisque dolor partus convulsiones provocet, femina autem impedito partus decursu certae morti objiciatur, ad majorem incisionem oris uteri aggredieremur, etsi convulsiones inter operationem auferentur.

Quod attinet ad partum inter graviditatem arte instituentium, respiciendum est, hac operatione amotionem contentorum uteri, nisi hic ad illa expellenda jam satis praeparatus est, non tam brevi tempore perfici posse, quam periculum Eclampsiae postulat, et paroxysmos irritatione, inter operationem provocata, necessario auferi. Itaque in hoc casu quoque primum omnia reliqua remedia ad Eclampsiam amovendam diligenter adhibebimus, id quod eo minus negligendum est, quum interdum forti intercessione Eclampsiam aversam et graviditatem in decursu usque ad normale tempus partus non amplius turbatam esse sciamus. Sin in omnibus adhibitis remediis impetus frequentiores fiunt, et graviditas a femina nequaquam tolerari posse videtur, tamen coacti sumus aggredi ad operationem supra memoratam, quasi ad ultimum remedium; quae operatio, quum secundum *Baudelocque* et alios, impetus interdum jam liquore amui effuso

desierint, usque ad hoc tempus punctione velamentorum ovi instituta est. Nonne calida „Uterin-Douche“ quae appellatur, a *Kiwisch* commendata, ad partum provocandum in hoc casu in loco esset?

Partu finito paroxysmi interdum continuantur aut nunc primum, apparent; in aetiologia causas hac periodo excitantes attulimus. Amoveantur igitur placenta retenta, residua velamenta et coagula sanguinis; tubus intestinalis diligenter evacuetur; ceterum cura eadem est, atque in graviditate et partu; adhibeantur igitur emissiones sanguinis, superfusiones capitis aqua frigida et caetera, ita tamen, ut secretiones puerperales, quae quovis modo adjavandae sunt, semper respiciantur. *Harvie*<sup>66)</sup>, qui et ipse observavit aegrotam, si lochia largiter effundantur, plerumque post aliquot horas mentis suae compotem fieri, ad secretionem accelerandam fomenta in cruribus, cataplasmata in pedibus et vesicam, panno laneo involutam et aqua calida impletam, in regione uteri imponere commendat.

Plerique morbi Eclampsiam secuti, ut paralyse, perturbationes animi, in permultis casibus emissionibus sanguinis saepius repetitis, derivationibus in cutem et tubum intestinalem amoti sunt.

Quamquam non necessarium est, ut femina, in priori graviditate aut partu Eclampsia correpta, in proxima quoque eodem malo afficiatur, tamen omne genus cautionis adhibendum est; sic quoque, ubi causae magis minusve praedisponentes apparent. Ad hunc finem *Hamilton*, *Busch* et complures alii extremis graviditatis mensibus venaesectionem, alii ut *Johns* purgantia, diuretica, inter quae praesertim tinctur. digital. (*Hamilton*), tartar. stibiatum in dosi refracta (*Johns*) commendarunt. Majorem autem utilitatem, quam haec remedia, quae in nonnullis casibus, praesertim venaesectio in plethora aucta, in congestionibus, vehementi capitis dolore etc., diuretica in oedemate,

66) *Merriman*, die regelwidrige Geburt und ihre Behandlg. pag. 145.

sine dubio vim saluberrimam exercent, continentia in victu cultu-  
que et diaeta, variis constitutionibus respondens, profecto  
afferent.

Adjiciamus denique curandum esse ut aegrotis, ne laedantur,  
positio commoda detur; ne motus convulsivi violenter impedian-  
tur, ut lingua a vulneratione servetur, lignum linteo involutum  
dentibus maxillaribus inseratur, ita tamen ut maxilla inferior  
non luxetur. Omnia vestimenta et ligamenta astricta solvantur  
et exploratio obstetricia interna saepe instituatur, quum partus  
interdum repentinum decursum habeat.

Multa alia remedia quasi saluberrima, aut conjuncta cum  
iis, quae jam retulimus, aut post illa adhibita, a pluribus aucto-  
ribus commendantur; quum vero apparitiones Eclampsiae immi-  
nentes magis augeant, fere omnia prorsus rejicienda sunt; non  
autem negabimus, amotis omnibus apparitionibus congestivis,  
pacato systemate vasorum et relicta tantum abnormi sensibilitate  
systematis nervorum aut symptomatis adynamicis, ex diutino  
partu aut cura exortis, hoc aut illud remediorum infra referen-  
dorum vim prosperam exercuisse; attamen in illis semper  
summa cautio adhibenda est.

Lavationes totius corporis calidae et frigidae, illae aut non  
mixtae, aut adjectis herbis aromaticis, kali caustico, herb. nico-  
tiana. (*Capuron, Merriman, Denman, Busch, Wigand, Hauß*);  
hae inter paroxysmos (*Currie*) ut remedium praeservativum  
(*Denman, Lovati*) institutae sunt. Lavationes totius corporis  
praeterea quod propter magnas difficultates tantum rarissimo  
effici possunt, et quod apparitio paroxysmi in balneo semper  
admodum molesta est, quia aegrotata facile laeditur, nobis jam  
propterea contraindicatae videntur, quod congestiones ad caput  
provocant, praesertim si aegrotatae plethoricae aut non liberae  
sunt a gravioribus vitis organicis; magna igitur cautio adhibenda  
est, et tantum actione systematis vasorum omnino submissa, in  
feminis magna sensibilitate quum omnino nervorum tum prae-  
cipue nervorum sexualium, lavationes illae, semper autem cum

superfusionibus capitis aqua frigida conjunctae, admitti possunt. Eodem modo vi aquae frigidae prima periodo, telis contractilibus et vasibus periphericis contractis, congestiones ad partes centrales et cum iis novi impetus Eclampsiae provocantur; quamobrem et frigidae lavationes raro tantum instituendae sunt. Calidae lavationes dimidii corporis (*Capuron*), injectiones in vaginam calidae et emollientes, fomenta in abdomine sub iisdem conditionibus atque lavationes calidae adhibeantur; sine dubio autem tantum minoris momenti erunt.

E remediis antiphlogisticis *Busch* et *Betschler* kali nitricum, *Coory Kennedy* et *Collins* tartar. stibiatum cum tinct. opii, sanguine prius emisso, adhibuerunt; kali nitricum etsi non magnam utilitatem affert, non tamen nocebit, tartarum stibiatum, quum vomitum facile excitet, jam supra rejecimus. Ut *Kiwisch* tartar. stibiat., sic *Siebold* radic. ipecacuanh. in dosi refracta remedia antispasmodica, sudorifera commendat; sed quis nobis spondet ea tantum nauseam, non vero vomitum excitatura esse?

E remediis narcoticis et antispasmodicis multa adhibita et laudata sunt, imprimis:

Opium forma unguenti, clysmatis, per os aut solum aut conjunctum cum hydrarg. muriat. mit. (*Osiander sen.*, *Wigand*, *Tiling*, *Bland*, *Busch*, *Stoll* et alii). Quamvis hoc remedium antispasmodicum egregium in meris neurosibus praedicamus, eodem tamen gradu in hoc morbo multis ex caussis dissuademus; primum quia actionem partus submittit, tum quia alvum astringit, id quod, ut jam memoravimus, summopere vitandum est; denique quia tam facile irritationem cerebri provocat. Quibus ex caussis *Velpeau* et *Kiwisch*, si remedia hujus generis indicata sunt, morphium anteponunt. Opium contra a multis medicis doctis severe vetatur: sic a *Merriman*, *Deweese*, *Jörg*; *Burns* dicit opium impetum raro opprimere, nisi morbum in apoplexiam mortiferam verterit, et *Hamilton* contendit se nunquam sanata vidisse aegrotam, cui initio morbi opium datum sit. Eodem modo extract. hyoseyami et extract. belladonnae

rejjimus, quum propter incertum effectum (*Velpeau, Busch*), tum quia congestiones ad caput atque interdum paralyses uteri provocant (*Dubois*). Pariter res se habet quoad herb. digital. et herb. stramon.; non tamen afficiunt uterum; herb. digital. potius in oedemate remedium praeservativum adhibenda est. — Acid. hydrocyanic. a *Bluff* et praesertim a *Meissner* et *Strahsen* commendatum est. *Strahsen*, quum Eclampsia sanguine emissio, glacie capiti imposita et partu finito perduraret, 25 guttas acidi hydrocyanici per clyisma aegrotae applicuit et praeterea quinta aut octava quaque minuta 5 guttas per os dedit; aegrotam in somnum salutarem incidit, et convulsiones desierunt. Magis etiam *Meissner* kali hydrocyanicum commendat. Nonne autem quum effectus acidi hydrocyanici tam incerti sint, eo major cautio adhibenda est? nam post doses solitas jam graves intoxicationes observatae sunt.

Camphora, praemissis sanguinis evacuationibus et purgantibus, maxime a *Hamilton* adhibita est. *Busch* jure eam vitat, si systema sanguinis aut irritatum est aut facile irritari potest; admittit eam autem, si tantum sensibilitas nervorum adest et in hoc casu opium aut hydrarg. muriat. mite adjicit, ut per hoc extremum simul in tubum intestinale derivet. *Burns* se prosperum eventum per camphoram adductum non vidisse dicit, et eam tantum adhibet, non confidens viribus ejus medendi, si convulsiones post partum quoque continuantur. Non dubitabimus quin *Hamilton*, quum in plerisque casibus, 100 3 sanguinis primum emissis, aegrotam in adynamiam transtulerit, prosperum eventum camphora effectum viderit.

Sub paribus conditionibus moschus et castoreum adhibenda sunt. Ex hoc genere remediorum multa alia praebita sunt, sic rad. valerian., rad. serpentar., liq. ammon. succin., naphthae, olea aetherea, praecipue ol. animal. aether. Fieri potuit ut hoc aut illud horum remediorum pro rerum conditionibus prosperum eventum habuerit, in universum usum tamen nullum eorum venit; interdum etiam convulsiones ex inanitione aut hystericis

huc relatae sunt, quae naphthis aut radici valerianae et asae foetidae immerito illam laudem paraverunt.

## Relationes morbi.

### I.

*Maria Uik*, rustica Esthonica, 35 annos nata, statura humili, collo brevi, colore subflavo, valida et normali corporis structura, die 16 mensis Aprilis anni 1847 in nosocomio obstetricio excepta est. Octavum gravida fuit; priores partus sine labore edidit, et tunc initio noni mensis graviditatis se esse dixit. Dum in nosocomio fuit, semper bene se habuit. Nocte a septimo ad octavum diem Maji mensis de capitis dolore conquesta est, sed mane hora  $4\frac{1}{2}$  surrexit et nonnulla negotia gessit. Hora 5, in lecto sedens, retro collapsa et convulsione correpta est, quae omnia signa Eclampsiae, conjunctae cum congestione ad caput, habuit. Statim venaesectio 18  $\frac{3}{4}$  instituta et glacies capiti imposita est. Quum mentis suae compos non facta et post decem minutas novo impetu correpta esset, venaesectio 8  $\frac{3}{4}$  adhibita est, et quum post dimidiam horae partem tertius impetus intrasset, eadem copia sanguinis emissa et repentinae superfusiones capitis tonsi institutae, praeterea autem sinapismi brachijs et suris appliciti sunt. Exploratione obstetricia interna statim post secundum impetum instituta, os uteri omnino apertum et portio vaginalis complures lineas longa fuit, ac femina nequaquam dolores ostendit. Superfusionibus illis institutis, mentis compos facta non est, etsi illae tantam vim habuerunt, ut mulier, quae immobilis prostrata erat, vehementer se moveret ac se liberare conaretur. Paullatim dolores intrare videbantur, nam mulier aliquoties manum vehementer abdomini admovit, simulque quieta facta est. Exploratione interna facta, os uteri paulum apertum visum est. Hora 9, velamentis ovi ruptis, dolores frequentiores facti os uteri permutarunt. Quum impetus convulsionum incertis intervallis bis intra horam appa-

rerent, mulier autem admodum debilitata esset, optandum videbatur ut partus quam primum finiretur. Hora 10 $\frac{3}{4}$  os uteri, quamquam caput foetus alte in pelvi situm erat, tam dilatatum, ut forceps adhiberi posset. Feminae positio necessaria data est; forcipe admoto, caput quinque tractibus fortibus emotum, reliquum corpus mox secutum est. Infans, puer robustus, plane evolutus, asphyxia oppressus fuit; cordis ictus admodum debilis fuit. In omni adhibita opera infans in vitam revocari non potuit. Ex utero magna sanguinis copia emissa est. Hora 11 $\frac{1}{4}$  placenta amota, quum uterus nondum plane contractus esset, haemorrhagia exigua intravit, quae per complures horas se repetebat, simulac uteri fundus fricatus est. Post partum quoque femina aliquamdiu mentis non compos fuit et duobus convulsionum impetibus affecta est. Omnino duodecim impetus perpessa est. Aegrotae duae doses hydrarg. muriat. mit. gr. x tertia quaque hora, et tempore interjecto moschi gr. ij singulis horis data sunt; circa horam quartam post meridiem superfusio capitis denuo instituta est. Status aegrotae usque ad vesperem non mutatus est. Tum major iniquies intravit et circa horam decimam mulier primum quaerentibus respondit. Die proximo mercurius dulcis minore dosi datus est. Die 13 mulier tantum de perturbatione capitis conquesta est. Aliquot doses ejusdem medicamenti et sinapismi cervici adhibita sunt. Hic status ad diem 17 duravit, tum vehemens diarrhoea intravit. Mucilaginoso ordinata et die 19 vespere aliquot guttae tinctur. opii simpl. additae, quo facto diarrhoea evanuit. Pulsus, qui semper ad ictus 115—120 acceleratus erat, die 21 ejusdem mensis usque ad 90 deminutus est. Die 27 mulier valetudine plane restituta dimissa est.

## II.

*Julia Anderson*, ancilla ex hac urbe, annos 25 nata, media statura, valida corporis structura, specie sana, robusta, die 22 mensis Aprilis 1847 primum gravida in nosocomio obstetricio

recepta est. Usque ad diem 28 optime se habuit, nisi quod oedema extremitatum inferiorum, laterum abdominis et faciei in dies crevit. Jam illo die mane capitis dolore et vertigine pressa erat, sed utrumque occultavit. Post meridiem hora quinta, in lecto sedens, convulsionibus aperte eclampticis correpta est: facies livido-rubida, oculi contorti, pupilla dilatata, animi defectus, spuma in ore, convulsiones extremitatum. Venae-sectione 13 3/4 statim instituta, femina, mentis suae compos facta, conqueri coepit de doloribus in regione hypogastrica, qui manifeste dolores partus erant; hora 5 3/4 novus convulsionum impetus apparuit; eodem tempore velamenta ovi rupta, dolores frequentiores et vehementiores facti sunt; hora 6 minut. 10 puer natus est plane evolutus et bene figuratus, sed asphyxia oppressus; mox tamen in vitam vocatus est. Post aliquot horas venaesectio 9 3/4 instituta et nonnullae doses mercur. dulc. datae sunt, ut derivatio in tubum intestinale efficiatur. Impetus desierunt, puerperium normaliter finitum et mater cum infante optima valetudine die 20 mensis Maji dimissa est.

### III.

*Maria Feldmann*, puella Esthonica, 40 annos nata, media statura, robusta corporis structura, die 27 mensis Februarii 1848 excepta est. Ex obstetricia observatione interna graviditas prima usque ad finem novis mensis progressa apparuit. In normalibus pelvis dimensionibus prosper exitus partus, praesertim quum caput infantis jam in pelvi minore esset, exspectari licebat. Attamen curam aliquam movit magnum oedema non solum extremitatum inferiorum, sed etiam totius trunci, praecipue laterum abdominis et extremitatum superiorum; urinae magnam copiam albuminis continuit. Ad oedema amovendum diuretica adhibita sunt: herb. digital 3j in 3vi aquae cum 3β kali acetic, quae remedia, usque ad partum continuata, parum auxilii attulerunt. Partu instante die 3 mens. Aprilis hora 9 parturiens jam in primo partus dolore insolitam sensibilitatem ostendit, ita ut dolore

oppressa corrueret. Si jam primus dolor cum tantis molestiis conjunctus erat, apparitiones postea multo vehementiores factae sunt. Parturiens in lecto vix retineri potuit, clamavit, membra jactavit et quasi insaniens inter dolores partus se gessit. Proxima die hora 8 mane os uteri supra digitum dilatatum erat; evolutio partium sexualium normalis fuit et in permagna sensibilitate nec convulsivae nec inflammatoriae apparitiones uteri adfuerunt. Attamen cauti venaesectionem  $\text{§xii}$  instituimus. Partus longius progressus est; hora  $11\frac{1}{4}$  os uteri circa duos digitos apertum erat. Hora 12 femina, in lecto jacens, clamorem acutum edidit, animo defecit; oculi in partem superiorem distorti, facies et musculi colli convulsionibus clonicis correpta sunt, quae mox per extremitates diffundebantur; facies cyanea facta, spuma in ore, respiratio admodum impedita. Haec Eclampsiae symptomata novam venaesectionem  $\text{§xii}$  et superfusionem capitis subitam aqua frigida institui jusserunt; praeterea partus accelerandus erat. Sed antequam lectum praeparatum est, aegrota, postquam impetus 29 minutas duravit, mentis suae compos facta est. Forceps capiti, jam in pelvim minorem delapso, adnotus est, quae operatio propter permagnam aegrotae sensibilitatem admodum difficilis fuit. Caput tandem forcipe apprehensum est, tum evolutio infantis tractibus satis facile processit. Infans aegre vivus, aqua frigida conspersus, fortiter clamavit; post breve tempus placenta amota, partus finitus est; puerpera in somnum incidit. Hora autem  $1\frac{1}{2}$  subito experrecta est, torvo oculo; mox denuo defecit animo; convulsiones supra descriptae apparuerunt. Venaesectio instituta est, sed propter mobilitatem feminae tantum  $\text{§vi}$ — $\text{vii}$  sanguinis emitti potuerunt; praeterea superfusiones capitis adhibitae sunt. Post 10 minutas femina mentis compos facta est, superfusiones autem, brevibus intervallis interjectis, per 15 minutas continuabantur; pedes fomentis involuti et per aliquot horas tres majores doses mercur. dulc. cum rad. jalappae adhibitae sunt. Puerpera in somnum incidit et brevi tantum interruptione usque ad proximum mane dormi-

vit; nocte paululum sudaverat et aliquoties alvum deposuerat. Conquesta est solum de capitis perturbatione, quae aliquot dies permansit; pulsus ad 100—104 ictus acceleratus erat. Hae apparitiones autem evanuerunt et finito puerperio femina ipsa sana cum sano infante dimissa est.

#### IV.

*Puella Esthonica*, 23 annos nata, bona et valida corporis structura, flavis capillis, oculis caeruleis, colore tenero, genis rubris, primum gravida, ex ipsius et familiarium relatione per totam graviditatem usque ad initium mensis decimi optime se habuerat. Die 24 mensis Maji 1837 mane dolore capitis pressa, fessa, somnolenta fuerat, sed nullam curam adhibuit. Hora 7 primo convulsionum impetu subito correpta, torvum clamavit et animo defecit; quo tempore prof. *Walter* accitus est, jam duo impetus fuerant; tertium praesens observavit. Facies livido-rubida, labia fere cyanea, caput ardens, venae turgidae, oculi distorti, spuma in ore, extremitates clonice motae. Intervallis mentis compos facta non est; respiratio stertorosa. Venae-sectione 3xviii instituta, superfusiones capitis aqua frigida aliquot minutae continuatae sunt. Tum aegrota, mentis compos facta, eorum, quae facta erant, non recordata est. Pulvis ex mercurii dulcis gr. vi et radic. jalappae gr. xv praebitus est. Die 25 mens. Maji admodum fessa, debilitata erat, ceterum bene se habuit; ter alvum deposuit. Die 16 mens. Junii partus normalis processit. Puerperium normaliter finitum est.

**Libri, in quibus de Eclampsia scriptum est, in usum a nobis vocati.**

*François Mauriceau*, traité des maladies des femmes grosses et de celles qui sont accouchées. A Paris 1740. Tom. I. et II.

*Franciscus Boissier de Sauvages*, nosologia methodica sistens morborum classes. Amstelodami 1768. Tom. I.

*Samuel Merriman*, die regelwidrigen Geburten und ihre Behandlung. Aus dem Englischen übersetzt von Herm. Friedr. Kilian. Mannheim u. Leipzig 1831.

*Baudelocque*, Anleitung zur Entbindungskunst; mit Anmerkungen versehen von Phil. Friedr. Meckel. Leipzig 1791.

*Joh. Osiander*, Beitrag zur Lehre von den Convulsionen der Gebärenden; gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde. Weimar 1828. 2. Band.

*Carl Gustav Carus*, Lehrbuch der Gynäkologie. Leipzig 1820. 2. Theil.

*M. Chaussier*, considérations sur les convulsions qui attaquent les femmes enceintes. A Paris 1824.

*Justus Heinrich Wigand*, die Geburt des Menschen in physiologisch-diätetischer und pathologisch-therapeutischer Beziehung; herausgegeben von Franz Carl Naegele. Berlin 1820. 1. Band.

*Friedrich Ludwig Meissner*, die Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Leipzig 1826 u. 1833. 1. u. 4. Theil.

*A. Elias v. Siebold*, Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt am Main 1823. 2. Band.

Universitati Caesariae literarum Dorpatensi, Rutheniae decori, pridie Id. Decembr. anni 1827, quinque lustrorum, inde ab instauratione feliciter peactorum Solemnia pia laetaque mente gratulatur Societas medicorum practicorum Rigensis. Insunt: binæ observationes de virtutibus acidi hydrocyanici in tetano et eclampsia parturientium. Rigae 1827.

*Joh. Christ. Gottfr. Jörg*, Handbuch der Krankheiten des Weibes. Leipzig 1831.

- J. Capuron*, cours théoretique et pratique d'accouchemens. Bruxelles 1832.
- Alf. Velpeau*, traité complet de l'art des accouchemens. Bruxelles 1835.
- John Burns*, Handbuch der Geburtshülfe mit Inbegriff der Weiber- und Kinderkrankheiten; herausgeg. von H. F. Kilian. Bonn 1834.
- William P. Dewees*, die Krankheiten des Weibes; aus dem Englischen übersetzt von A. Moser, mit Zusätzen und Anmerkungen versehen von Dietr. Wilh. Heinr. Busch. Berlin 1837.
- James Hamilton*, praktische Bemerkungen über verschiedene geburtshülflliche Gegenstände, Ergebnisse einer 50jährigen Erfahrung; deutsch bearbeitet von einem praktischen Arzte. Berlin 1838.
- James Blundell*, Vorlesungen über Geburtshülfe; deutsch bearbeitet von Ludwig Calmann. Leipzig 1838.
- Dietr. Wilh. Heinrich Busch u. A. Moser*. Handbuch der Geburtskunde in alphabetischer Ordnung. Berlin 1841. 5. Lieferung.
- Franz Kiwisch Ritter v. Rotterau*, die Krankheiten der Wöchnerinnen. Prag 1841. 2. Theil.
- C. Canstatt*, Handbuch der medicinischen Klinik. Erlangen 1843. 3. Band, I. Abtheilung.
- Friedr. Ludwig Meissner*, die Frauenzimmerkrankheiten nach den neuesten Ansichten u. Erfahrungen. Leipzig 1846. 3. Bd., I. Abthlg.
- Franz Kiwisch Ritter v. Rotterau*, Beiträge zur Geburtskunde. Würzburg 1846. I. Abtheilung.
- Marshall-Hall*, Beobachtungen und Vorschläge aus dem Gebiete der praktischen Medicin; deutsch bearbeitet von L. Posner. Leipzig u. Wien 1847.
- Carl Mayer*, medicinische Zeitung, herausgegeben von dem Verein für Heilkunde in Preussen. Berlin 1833; 2. Jahrgang.
- Betschler*, medicinische Zeitung, herausgegeben von dem Verein für Heilkunde in Preussen. Berlin 1834; 3. Jahrgang.
- von Haselberg*, Wochenschrift für die gesammte Heilkunde, herausgegeben von J. L. Casper. Berlin 1834. Jahrgang 1834.
- Bluff*, in *E. v. Siebold's* Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten. Leipzig 1835. 15. Bandes I. Stück.
- Robert Johns*, neue Zeitschrift für Geburtskunde, herausgegeben von Busch, d'Outrepoint, v. Ritgen, v. Siebold. Berlin 1844. 16. Bd.
- Carl Christian Schmidt*, Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin: *Ludwig Ciniselli*, Band 4, Heft 3; — *Tiling* Band 13, Heft 2; — *Vonderfuhr* Band 20, Hft 2; — *Sherman* Band 20, Heft 2; — *Ernst Reinfeld* Band 20, Heft 2; — *Bendix* Bd. 20, Heft 2; — *W. Denny* Band 20, Heft 2; — *M. Haussmann* Bd. 28, Heft 2; — *Dornblüth* Band 11, Heft 1; — *Stoll* Band 30, Heft 1; — *P. Duhois* Band 42, Heft 2; — *Bibergeil* Band 45.

Heft 2; — *Charl. Vines* Band 50, Heft 2. *Thom. R. Mitchell*, Jahrgang 1847, Nr. 5; — *Dr. Landsberg*, Jahrgang 1847, Nr. 1. *Carl Christian Schmidt*, Encyclopädie der gesammten Medicin im Verein mit mehreren Aerzten herausgegeben. Leipzig 1841. 2. Band, 1. Hälfte.

**Complures alii de Eclampsia tractatus, qui ad manus nobis non fuerunt, laudati sunt a**

- C. Canstatt*, Handbuch der medicinischen Klinik. Erlangen 1843. 3. Bd., 1. Abtheilung.
- Friedrich Ludwig Meissner*, die Frauenzimmerkrankheiten nach den neuesten Ansichten und Erfahrungen. Leipzig 1846. 3 Bd., 1. Abthlg.
- Dietr. Wilh. Heinrich Busch* und *A. Moser*. Handbuch der Geburtskunde in alphabetische Ordnung. Berlin 1841. 5. Lieferung.



# THESES.

- 1) Versio in pedes, secundum methodum medicorum Francogallorum instituta, praeferenda est methodo medicorum Germanorum.
- 2) Usus belladonnae, prophylacticum febris scarlatinae, refutandus est.
- 3) Febris scarlatina, cum tumore magno et duro (sic dicto ligneo) glandulae parotidis conjuncta, forma hujus morbi maxime periculosa est.
- 4) Acarus scabiei scabiem provocat.
- 5) Decoctum Zittmanni praeferendum non est decocto lignorum.
- 6) In cataracta lentis crystallinae extractio per incisionem corneae in partem superiorem praeferenda est extractioni per incisionem in partem inferiorem.

